# DE VOCE
# HOMOUSION
## *DISSERTATIO*

IN QUA OSTENDITUR

*VOCEM ILLAM*

AB ANTIOCHENIS PATRIBUS

*PROSCRIPTAM VEL REPUDIATAM NON ESSE*

AUCTORE

LIBERATO FASSONIO

*DE CC. RR. SCHOLARUM PIARUM*

IN NOVO COLLEGIO

PUBLICO SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE.

*ROMÆ MDCCLV.*

EXCUDEBAT JOANNES ZEMPEL PROPE MONTEM JORDANUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

# PAULO MARIÆ PACIAUDIO

*CLERICO REGULARI*

GENERALI SODALITATIS SUÆ PROCURATORI

ORDINIS HIEROSOLYMITANI HISTORICO

*VIRO AMPLISSIMO ATQUE DOCTISSIMO*

LIBERATUS FASSONIUS DE CC. RR. SCHOLARUM PIARUM
S. P. D.

M*agnum opus omnino, & arduum conor,* Paciaudi Ornatissime, *dum in hac lucubratione contra perveterem, eandemque multo pervagatiſſimam de ſacra voce Homouſion opinionem ſcribere inſtituo, ego in primis, qui ſicut auctoritate nihil, ita nec uſu, & doctrina ſatis, & ingenio parum poſſum. Etſi enim plurimum eo ſtudii, diligentiæque contulerim, ut qualiſcumque iſthæc exercitatio mea optimis & ſtabilita eſſet præſidiis, & rationum momentis ad arcendam vim confirmata, quo minus publicam lucem tenuitatis ſuæ conſcia vereretur; video tamen, & perdifficile eſſe veteres opiniones, quæ altiores præſertim radices egerint, ex hominum* men-



Digitized by Google

mentibus evellere, & qui novas proponant, ac nitantur inducere, hos perſæpe in graves, & varias tum aliorum, tum imperiti præcipue vulgi reprehenſiones incurrere. Equidem ſolet rei novitas doctorum hominum ſtudia plerumque excitare, & incredibilem eiſdem lectionis cupiditatem injicere; vix tamen oculi a lectione feſſi conquieſcunt, ſe ſeque recolligunt, cum ſtatim relangueſcimus, vel animum potius in veteri, quam adamare conſuevimus, ſententia obfirmamus, aſpernamurque cum vituperatione contrarias. In hoc enim rerum genere, ut ſcite a Cicerone dictum accepimus, neſcio quo pacto magis, quam in aliis, ſuum cuique pulchrum eſt, paucoſque fortaſſe in tanta ſtudioſorum hominum multitudine reperiemus, qui ſibi non optimi, non acutiſſimi videantur. Sic enim ſe res habet. Te tua, me delectant mea. Itaque ne multis incommodis debilitata veritas aliquid exinde pretii, ac ſplendoris amitteret, ego vero dignitatem ut meam commodius, atque honorificentius retinerem hoc, quidquid eſt, opuſculi docto in primis, ſpectatæque virtutis Viro offerre ſtatui, ac dedicare. Animo autem, cogitationéque verſanti, ecquem potiſſimum laborum meorum quaſi auſpicem, & propugnatorem deligerem, vix mihi, PAULE AMPLISSIME, oblatus es, cum ecce in tuis oculis, in tuo ore, ſapientiaque libentiſſime acquievi. Is enim in Te mihi oblatus eſt Vir, qui propter beatam quandam in omni litterarum genere eruditionis, doctrinæque abundantiam, eximiam ſibi nominis celebritatem pepererit Genuæ, Venetiis, Neapoli, Melitæ, Romæ, cæteriſque in nobiliſſimis Vrbibus, ubi vel ſummo loco natos Adoleſcentes ad melioris Philoſophiæ ſtudia perutiliter informavit, vel ſacri Oratoris perſonam ſingulari cum laude, ac Religionis dignitate ſuſtinuit, vel præclara juxta, ac multitudine plurima ingenii ſui monumenta conſtituit. Nam ut hic aureolos de Chriſtianorum Balneis, ac

*de Umbellæ Geſtatione Commentarios, aliaque minorum quaſi gentium opuſcula litteratis alioquin hominibus probatiſſima, tacitus prætermittam, quis mihi ſatis volumen commendaverit inſcriptum*, Antiquitates Chriſtianæ De Cultu S. Joannis Baptiſtæ, *quod ſuperioribus diebus in lucem a clariſſimo, doctiſſimoque* PACIAUDIO *emiſſum eſt? Quanta enim, Deus bone! inibi elucet penitioris Theologiæ, interdum etiam Philoſophiæ, ubique autem Criticæ artis ſcientia? Quanta Chriſtianæ antiquæ rei, Pontificiæ hiſtoriæ, ſanctiſſimarum religionum, cæremoniarumque cognitio? Quanta in interpretandis nonnullis veterum monumentis, quæ Delio propemodum natatore indigebant, felicitas? Accedit eodem ſingulare quoddam totius lumen orationis, quæ & ſcriptis dignitatem, ac decus conciliat, & legentium animis jucunditatis ſolet afferre plurimum. Etenim res obſcuras, ac perdifficiles tam latine, ornate, copioſe tractat, ut quæ duo in optimo quoque Scriptore ſapientiſſimus Poeta Horatius requirebat, argumenti utilitatem, atque præſtantiam cum neſcio qua eorum, qui legerent, voluptate conjunctam, duo hæc noſter ille & perpetuo præ oculis habuiſſe, & merito magno, immortalique ſuo conſecutus eſſe videatur. Commune hoc eſt, ut audio, eruditorum, qui ſuum rebus ſtatuere pretium norunt, de* PACIAUDII *Opere, mentiſque perſpicacitate judicium. An de Perſona, totiuſque vitæ ratione ſecus? Immo fortaſſe amplius. Nam ſpectatiſſimos ad dignitatem honores, quos vel Emmanuel Pintius ſummus Militiæ Melitenſis Magiſter, vel ſacer Teatinorum Ordo in eximium Virum communibus Equitum, Alumnorumque ſuffragiis benevole contulit, non belle, non cum magna judicii, ac prudentiæ laude non collocatos exiſtimant. Quin etiam quod lectiſſimorum ex omnibus Ordinibus hominum vel gratiam, vel familiaritatem tum alibi ſemper, tum Romæ in primis inierit, clariſſimorum porro Antiſtitum, qui*

 *ejus*

*ejus conſuetudine impenſe delectantur, Cardinalium ampliſſimorum, ad quos, utcumque tempus, aut locus poſtulet, faciles habet aditus, Pontificis denique Maximi, qui hominem peramanter, perbenigneque complectitur, hoc* PACIAUDIO *boni omnes, & qui incorrupte judicant, verbis ſingularibus gratulantur. Neque id vero ſine cauſſa & graviſsima, & maxima. Nam ſi de virtutibus his lenioribus ſermo ſit, quæ in quadam morum elegantia, & ſuavitate poſitæ ſunt, nemo eas in humaniſsimo Viro non laudare poterit, colere, admirari; ſi ornamenta animi ſpectem, in quibus id ſitum eſt, quidquid magiſtri vitæ Philoſophi honeſtum, quidquid decorum nuncupant, eorum in illo non effigies, neque imago, ſed ipſa res ſuis omnibus expleta numeris, ac partibus cernitur, infimis, mediocribus, ſummis perjucunda. Videlicet tantus eſt ſplendor in laude vera, fulgidiſsimi ut inſtar ſideris omnium ad ſe oculos, animoſque convertat. De Te hactenus,* PACIAUDI AMPLISSIME, *ſed ad Te nihil, ne ſcilicet modeſtiæ tuæ importunus, vel parum gratus, dum gratiſſimus eſſe cupio, obſtreperem. Novi enim, planeque teneo, duplicem eſſe hominum, & omnino diſparem rationem. Sunt quippe, monente etiam M. Tullio, qui virtute ipſa non tam multi præditi eſſe, quam videri volunt. Sunt quos vera ſpecies virtutis delectat, quique ad illam ſtudioſe ſe totos conformant. Illi laudem, & gloriam avidiſſime ubique quærunt, illi, fictus ad ipſorum voluptatem ſermo cum adhibetur, orationem hanc vanam teſtimonium eſſe laudum ſuarum ampliſſimum arbitrantur. Hi vero, etſi fortaſſe a laudis ſtudio non abhorreant, coram tamen laudari ſe renuunt, recteque facta magis, unde ſolida, unde vera dimanat laus, quam laudem ipſam, cupide conſectantur. In quorum ego numero niſi Te collocem, impudens plane, ac vecors ſim. Ea autem me cauſa permovit, ac impulit, ut ne*

ver-

*verbum quidem de privata Bibliotheca tua facerem, quam Tu non exiguis impenſis, laboribuſque plurimis eo librorum delectu, & copia exornaviſti, quæ, Religioſi ſi hominis ratio habeatur, eſt ſane magna, alienæ ſi opulentiæ, non eſt inelegans, quippe cum & ſummæ opes nonnibil fortaſſe invenire in illa poſſint, quod deſiderent, nihil offendere, quod contemnant. Interim hoc me non mediocriter recreat, quod quidquid a me erat optandum maxime, & quod ad exiſtimationem nominis mei, atque ad declinandam, vel ſedandam invidiam pertinere plurimum videbatur, in Te mihi feliciter & oblatum, & datum eſt. Nam ejuſmodi iſta nominis inſcriptio tui dubitare plane nec poſſum, nec debeo, quin meis afferat his litterulis, ac ſcriptionibus dignitatem. Quas vero voluntatis, amoriſque erga me tui, cum vix Tibi de facie notus eſſem, perilluſtres ſignificationes dedſti, non ſolum illæ magno me animo eſſe jubent, ſed certam etiam injiciunt ſpem, a Te hoc genus, quod Tibi offero, obſervantiæ facile in bonam partem acceptum iri. Quod ſi aliqui futuri ſint qui alte de Te, ut par eſt, ſentientes perexiguum improbent hoc pignus meum, ſpectent illi pervelim, quo Te animo conveniam, non quid Tibi muneri dandum eſſe ſtatuerim. Vetus enim ſapientum in primis hominum ſcitum eſt, animum eſſe, unde rebus accedit pretium, unde leviora etiam, atque ipſa per ſe non magni alioquin facienda munuſcula illuſtrantur.*

AP-

# APPROBATIO.

*Diſſertationem de Voce* HOMOUSION, *in qua oſtenditur, vocem illam ab Antiochenis Patribus proſcriptam, vel repudiatam non eſſe*, authore R. A. P. Liberato Faſſonio de CC. RR. Scholarum Piarum in Novo Collegio publico Sac. Theologiæ Profeſſore concinnatam, Sacri Apoſtolici Palatii Rm̃o P. Magiſtro jubente, perlegi; & quidem volupe mihi fuit, Scriptoris prudentiam cum caſtitate ſermonis ſociatam in eo maxime fulgere, noviſſe, quod & Eccleſiæ inconcuſſum dogma, & veterum Patrum auctoritatem ita tuetur, ut omnem ab eis amoliatur invidiam, & eam merito in heterodoxos regerat Arianos, a quibus de more vel depravata, vel conficta jactabantur acta, nuper ab Arminianis Curcellæo, ac Clerico infeliciter propugnata. Cum vero nihil in hac tractatione aut S. Fidei dogmatibus, aut ſanis moribus incongruum in ea repererim, prælo dignam eſse cenſui.

In Collegio noſtro S. Mariæ de Victoria ad Thermas Diocletianeas ipſis Idibus Juliis MDCCLV.

*F. Eduardus à S. Xav. C. E. olim S. Theologiæ prælector, nunc Supremæ Univerſ. Inquiſ. Qualific.*

*IMPRIMATUR,*

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*F. M. de Rubeis Patriar. Conſtantinop. Viceſger.*

---

*IMPRIMATUR.*

Fr. Vincentius Elena Mag. Socius Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Ord. Prædicatorum.

MEN-

# MENDORUM CORRECTIO.

| | |
|---|---|
| Pag. 16. lin. 24. *Alexaadrinæ* | *Alexandrinæ* |
| 25. lin. 5. *& de Homouſii* | *& de Homæuſii* |
| 30. lin. 25. in aliquibus exemplaribus διασκίψαθαι | διασκέψασθαι |
| 31. lin. 34. *homæuſii* | *homæuſii* |
| Ibid. lin. 35. *homæuſio* | *homæuſio* |
| 38. lin. 16. omnem | totum |
| 40. lin. 11. in aliquibus exemplar. Cum Dalmatio, porro, | Cum Dalmatio porro; |

Leviora errata facile Lector benevolus emendabit.

......... Σώφρονος δ' ἀπιςίας
Οὐκ ἐςὶν ȣ̓δὲν χρησιμώτερον Βροτοῖς.

Eurip. in Helen.

Digitized by Google

# DE VOCE HOMOUSION

## *DISSERTATIO.*

CUM Nicæni conventus Antiſtites, re diu, multumque perpenſa, probe tandem intellexiſſent, ad Arianam comprimendam perfidiam nihil fore accommodatius, quam celebre τοῦ ὁμοουσίου, vel, ut latine dicam, *conſubſtantialis* vocabulum, quo uno Filii divinitas, naturæque cum Patre æqualitas luculentiſſime explicatur, omniſque impiis tergiverſandi locus eripitur, communibus illud, concordibuſque ſuffragiis conſecrandum putarunt, compoſitæque abs ſe doctrinæ formulæ magna cum laude, & commendatione prudentiæ addiderunt. Nec certe ſapientiſſimorum virorum expectationem, ac ſpem fefellit exitus. Nam tametſi Arianæ doctrinæ amatores, teſte in primis graviſſimo Athanaſio, *omnia poſſint pro libidine ſophiſmatibus eludere, ac detorquere, nihilominus hanc ſolam vocem, utpote quæ ſuam hæreſim confutet, reformidant: quam Patres quaſi propugnaculum adverſus impiam omnem eorum cogitationem conſcripſere* (*a*). Itaque cum e noſtrorum manibus, præcluſis undequaque itineribus, verſipelles illi aliter elabi non poſſent, omnem in id operam, atque induſtriam contulerunt, ut homouſion ſæmpiterna oblivione obſcu-

(*a*) Lib. de Syn. num. 45. edit. PP. Maurin.

Digitized by Google

obſcurarent, ex hominumque, ſi fieri poſſet, memoria delendum oſtenderent. Quo autem facilius voti compotes fierent, brevi annorum undeviginti intervallo undecim, ſi Athanaſio credimus, vel treſdecim, ut arbitratur Petavius (*a*), diſciplinæ compoſuerunt formulas, poſteriores prioribus ſæpe contrarias, in quibus conſubſtantialis nomen reticentes, vel tanquam fatalem ſcopulum evitantes illam cum Patre divini Filii cognationem, ac χίον in Nicænis Comitiis optime conſtitutam varia ratione, & via explicarunt, ſeu verius impudentiſſime labefactarunt. Cum hoc hominum genere in idem facinus conſpiravit olim Semiarianorum Familia, conſpirant autem etiam nunc recentiores illi omnes, Stephanus præſertim Curcellæus (*b*), & Clericus (*c*), quibus Nicæna fidei noſtræ formula non probatur. Eo vero inter cætera argumento ducuntur, quod confeſſa, & manifeſta res ſit, dictionem homouſion in altero Antiocheno Concilio adverſus Paulum Samoſatenum habito proſcriptam, ac repudiatam fuiſſe; nefas autem putari debeat damnatum, improbatumque vocabulum adhibere, multoque magis Chriſtianæ doctrinæ formulæ adſcribere.

II. Quod autem homouſion Antiocheni cœtus Proceres eliminaverint, Pontificii Scriptores, Theologique non ambigunt. Immo ſententia iſthæc eſt ab antiquiſſimis in poſteros propagata temporibus, quæ ita inveteravit, plurimorumque tanquam in venis, & medullis inſedit, ut imprudentiæ notam vix, ac ne vix quidem declinaturus videri fortaſſe poſſit, ſi quis a recepta illa ſententia, ac perſuaſione diſcederet. Noſtri igitur de repudiata ab Antiochenis Patribus dictione homouſion litem adverſariis non intendunt; tantum rationes, cauſaſque facti ſubtiliter conſectantur, quo deinde Nicænos Antiſtites ab omni invidia liberent, oſtendantque eoſdem recte, fructuoſe, prudenter vocem hanc ſuæ formulæ addidiſſe. Quæ nec ipſi in Theologia Tirones ignorant. Ego tamen de verbo homouſion, pace ſapientiſſimorum hominum dixerim, aliter ſtatuendum exiſtimo, & quam-

(*a*) Lib. 1. de Trinit. cap. 9.
(*b*) Quatern. Diſſert. 1. pag. 132.
(*c*) Biblioth. Tom. 10. pag. 408.

quamvis antea communis mihi arrideret ſententia, graviſſimis tamen rationum momentis nunc moveor, cur a clariſſimorum virorum opinatione diſſentiam. Rationes illas in hac lucubratiuncula breviter, ac perſpicue exponam, neque id ſane aut novitatis, aut inanis gloriolæ ſtudio, a quo ſemper abhorrui, ſed veri reperiendi gratia, quod bono cuique Theologo in omni vita propoſitum eſſe debet.

III. *Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter* (*a*), qui vetuſtiſſimam opinionem tot, tantorumque Theologorum mentibus tam penitus inſitam convellendam aggrediar, ſcias, velim, facem mihi, ac lumen commode prætuliſſe virum perdoctum, in diviniſque omnibus diſciplinis, & artibus verſatiſſimum Prudentium Maranum (1), ex cujus lectione ſincere, pro eo ſane, ac debeo, candideque confirmo, me non mediocriter profeciſſe, edendique hujus opuſculi occaſionem nactum eſſe. Nihil aſtute diſſimulo, quia *benignum eſt, plenumque pudoris ingenui fateri per quos profeceris*, uti nos admonet præclare Plinius (*b*). De reliquo nihil tale expectabam, cum ſententiæ meæ jacta quaſi ſemina, & fundamenta deprehendi in Theodoro Peltano, Cardinali Baronio, Binio, Labbeo, Stephano le Moyne, aliiſque, qui neſcio quam fidei formulam in Antiocheno conventu editam, & de qua in extrema opellæ parte dicturus ſum, amplexantur. Maranum ſi demas, & quos proxime nominavi Scriptores, qui nec opinanti mihi novum veluti ſignum ad bene ſperandum ſuſtulerunt, nullis aliorum, quod

 ſciam,

(*a*) Horat. Lib. 1. Epiſt. 3.
(*b*) Præfat. Hiſtor. Natur.
(1) Lib. 4. cap. 29. Operis de Divinit. Jeſu Chriſti, & cap. 7. *Diſſertationis de Semiarianis*, in qua nova editio operum S. Cyrilli Hieroſolymitani a P. Toutteo adornata defenditur. Prodiit Diſſertatio illa gallice ſcripta Pariſiis anno 1722, ejuſque mentionem faciunt Actorum Trevoltientium conditores ad annum 1723. Verumtamen ipſum ego Auctoris opuſculum, etſi celebriores Urbis Bibliothecas excuſſerim, reperire non potui. Cæterum noſtram, ac Marani ſententiam inter reliqua Theologiæ capita publice ſuperioribus menſibus diſputandam propoſuit ingenioſiſſimus Vir nobiſcum & ſtudiis eiſdem, & vetuſtate amicitiæ conjunctiſſimus Ludovicus Galbiati ex Cœleſtinorum Familia in pererudita lucubratione, quæ inſcribitur, *Animadverſiones in Verbum Dei ſcriptum &c.* par. 2. pag. 54., quod eo etiam dico, ne cui fortaſſe videar ſuam laudem, aut gloriam invidere.

ſciam, auctoritatibus ſtipatus in lucem exeo; tantum rationibus, argumentiſque confido, quæ ſpero a Lectoribus æqui, bonique conſultum iri, ſi integris animis expendentur, ſemotis contentione, & odio, quibus, ut Melchior Canus graviſſime tradidit, frequenter ſolent hominum exoculari judicia (*a*). Quin ex illa etiam parte in bonam de me ſpem inducor, quod certe e Religionis potius dignitate facturus ſim, ſi oſtendero, nihil unquam minus Antiochenos Patres, quam de damnando, aut rejiciendo homouſio cogitaſſe.

IV. Vocem ergo homouſion, ut hinc potiſſimum ordiar, in Antiocheno Concilio proſcriptam, ac repudiatam non eſſe, ex certiſſimis antiquæ hiſtoriæ monumentis efficitur, quibuſcum cenſura illa perſpicue pugnat, nedum conciliari non poteſt. Antiochena altera Synodus adverſus Paulum Samoſatenſem Antiochiæ Antiſtitem anno 269 congregata eſt, & uſque in annum poſterum continuata, ut recte demonſtratum a Pagio (2). Tunc autem necdum nonus, vel etiam octavus annus inierat, ex quo Pentapolitæ nonnulli Dionyſium Alexandrinum Epiſcopum apud cognominem Romanum Pontificem accuſaverant, *quod rem creatam, nec Patri conſubſtantialem Dei Filium affirmaret*, ὡς λέγοντα ποίημα, καὶ μὴ ὁμοούσιον τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ (*b*). Criminationibus occaſionem præbuerat celebris Dionyſii ad Euphranorem, & Ammonium epiſtola, ubi cum Sabellianam perfidiam viribus omnibus profligandam ſuſcepiſſet, viſus eſt ad contrarium errorem adhæreſcere. Lectis Pentapolitarum litteris, Romanus Pontifex Dionyſius Epiſcopos ad Comitia vocat, quibus rem ægre, ac moleſte, ut par erat,

(*a*) De Loc. Theol. lib. 6. cap. 2.

(*b*) Athanaſ. Lib. de Syn. num. 43.

(2) Moneo, ſecundum hoc Antiochenum Concilium ab Harduino (Ind. Concil. Tom. 1.) tertium appellari. Is enim Concilium quoddam intermedium admittendum exiſtimat habitum Antiochiæ anno 268, cui Firmilianus Cæſarienſis Antiſtes præfuerit. Etſi vero Harduini ſententia ſua probabilitate non careat, ſatis tamen perſpecta, atque explorata non eſt; mea vero Diſſertatio nihil inde capit detrimenti. Quod igitur cum pleriſque ſecundum ego appello Concilium, tu, ſi placet, tertium, ſeu vitandæ obſcuritatis gratia, poſtremum nominabis. Habebis enim docilem, non repugnantem Theologum.

erat, ferentibus, ille ſtatim totius conventus ſententias ad Dionyſium Alexandrinum reſcripſit, jubens, ut ſibi, famæque ſuæ conſuleret, & crimina, quorum a ſuis popularibus accuſabatur, quamprimum dilueret. *Synodus Romæ coacta*, ait Athanaſius, *rem indigne tulit*; *Romanus autem Epiſcopus omnium ſententiam ad* Dionyſium *gentilem ſuum perſcripſit* (*a*). Qui, triſti accepto nuncio, cum iniquas de ſe ſuſpiciones Romani Pontificis animo diu inſidere pati non poſſet, prolixam e veſtigio epiſtolam ad illum dedit, ubi mendacii illatum ſibi crimen coarguit, qua parte Filium conſubſtantialem Patri negaſſe dicebatur. Nec multo poſt offuſas nomini ſuo tenebras penitus diſperſurus quatuor aliis libris ad eundem Pontificem miſſis diligentius purgavit ſe, & defendit. Nam in eorum primo, ut eſt apud Athanaſium, his verbis adverſarios ſuos ad ſilentium adigebat. Εἶτα τοῖς ἱκανωτέροις, καὶ προσφυεστέροις ἐνδιέτριψα, καὶ πλέον διεξῆλθον περὶ τῶν ἀληθεστέρων, ποικίλα προσεπεξευρὼν τεκμήρια, ἅπερ καὶ σοι δὶ ἄλλης ἐπιστολῆς ἔγραψα, ἐν οἷς ἤλεγξα καὶ ὃ προφέρουσιν ἔγκλημα κατ᾽ ἐμοῦ ψεῦδος ὄν, ὡς οὐ λέγοντος τὸν Χριστὸν ὁμοούσιον εἶναι τῷ Θεῷ. Εἰ γὰρ καὶ τὸ ὄνομα τοῦτό φημι μὴ εὑρηκέναι, μηδὲ ἀναγνωκέναι ποῦ τῶν ἁγίων γραφῶν, ἀλλάγε τὰ ἐπιχειρήματα μοῦ τὰ ἕξης, ἃ σεσιωπήκασι, τῆς διανοίας ταύτης οὐκ ἀπᾴδει. Quæ verba ſic latine ſe habent. *Deinde in congruis, & naturæ rei accommodatioribus magis ſum immoratus, ac pluribus ea, quæ certioris erant fidei, expoſui, variis excogitatis exemplis, quæ tibi in alia epiſtola ſcripſi, quibus eorum criminationem depuli, mendacemque oſtendi, qua ajebant, me Chriſtum negare Deo eſſe conſubſtantialem. Tametſi enim fateor, me hoc vocabulum nuſquam in Scripturis ſacris vel inveniſſe, vel legiſſe, attamen argumenta mea, quæ ſubſequuntur, quæque iſti tacuerunt, ab hac ſententia nihil diſcrepant* (*b*).

V. Ex hoc autem eventu, qui neque in dubium vocari poteſt, nec ſemel ab Athanaſio (*c*) veluti res certa, atque explorata Arianis objicitur, illud neceſſario exiſtit, ter-



(*a*) Ibid.
(*b*) Athanaſ. de ſententia Dionyſ. num. 18.
(*c*) Ibid. De Decr. Nicænæ Syn. & de Syn.

tio Eccleſiæ ſæculo conſubſtantialis vocabulum longe, lateque pervulgatum fuiſſe; primum in Romana Provincia, ubi Summus Pontifex, coacto concilio, conſubſtantialitatis doctrinam confirmavit; ſecundo in ſuperiori Libya, unde Alexandrini Antiſtitis nomen veluti parum pium ad Romanum Pontificem delatum eſt; tertio apud Ægyptios, in quorum regione Dionyſius impactam ſibi calumniam viriliter depulit, & de Filii conſubſtantialitate tam illuſtria reliquit impreſſa ſcriptis ſuis veſtigia. Nec ſane, niſi vox illa multo ante tempore adhiberi cœpiſſet a Patribus, cum de divina Filii natura differerent, cauſſæ aliquid erat, cur Pentapolitæ tot in Alexandrinum Dionyſium turbas, atque tragœdias excitarent, quod Dei Filium Patri conſubſtantialem eſſe non diceret. Erat igitur homouſion multorum vox percelebrata ſermonibus, eamque, ut alia nunc teſtimonia prætermittam, Origenes nominatim, quem Dionyſius noſter audiverat, uſurpavit (3).

IV. Por-

(3) Ut liquido, clareque pateat, Origenem annumerandum eſſe Patribus, qui ante utrumque Dionyſium vocem homouſion receperunt, Apologiam ab egregio Chriſti Martyre Pamphilo pro Origene editam conſulamus. Pamphilus igitur ex ſua, Origeniſque ſententia probaturus, *quod ὁμοούσιος eſt cum Patre Filius, ideſt unius ſubſtantiæ*, hæc profert teſtimonia ex illius Commentariis in epiſtolam ad Romanos deprompta. *Cum autem diſcutitur hoc, quod dictum eſt de Filio Dei, quod ſit ſplendor gloriæ, neceſſario videtur ſimul differendum & illud, quod dictum eſt, non ſolum quia ſplendor eſt lucis æternæ, ſed & quod huic ſimile in ſapientia Salomonis refertur, in qua ſeipſam Sapientia deſcribit dicens: Vapor eſt enim virtutis Dei, & aporrhœa omnipotentis Dei gloriæ puriſſima.* Pauciſque interjectis: *oportet autem ſcire nos, quia per ineffabilia quædam, & ſecreta, & recondita, quodammodo vim ſibi faciens Scriptura ſancta conatur hominibus indicare, & intellectum ſuggerere ſubtilem, vaporis nomen inducens. Quod ideo de rebus corporalibus aſſumpſit, ut vel ex parte aliqua poſſimus intelligere, quomodo Chriſtus, qui eſt ſapientia, ſecundum ſimilitudinem vaporis ejus, qui de ſubſtantia aliqua corporali procedit, ſic etiam ipſe ut vapor quidam exoritur de virtute ipſius Dei: ſic & ſapientia ex eo procedens ex ipſa Dei ſubſtantia generatur; ſic nihilominus & ſecundum ſimilitudinem corporalis aporrhœæ, eſſe dicitur aporrhœa gloriæ omnipotentis pura quædam, & ſincera. Quæ utræque ſimilitudines manifeſte oſtendunt, communionem ſubſtantiæ eſſe Filio cum Patre. Aporrhœa enim ὁμοούσιος videtur, ideſt unius ſubſtantiæ cum illo corpore, ex quo eſt aporrhœa, vel vapor.*

His recitatis, Origenis doctrinam Pamphilus ſic confirmat, ac laudat.

*Satis*

VI. Porro cum hac hiſtoria conciliari nullo pacto poteſt ſententia, quæ in Antiochenis Comitiis adverſus homouſion lata fertur. Quis enim rem facile non perſpiciat? Ob frequentem vocis uſum paucis ante illa Comitia annis vel ipſi, quos vocant, Laici certo ſciunt, eſſe Dei Filium conſubſtantialem cum Patre: ſuſpicantur, ſeu potius fingunt, id dogma a Patriarcha ſuo negari, ſtatimque illum magnæ in Deum impietatis inſimulant: Romanus Pontifex, convocatique Antiſtites, tanquam in graviſſimo crimine, indignantur: mox ad Dionyſium plena mittitur querelarum epiſtola: ipſe vero, nulla mora interpoſita, deteſtatur invidiam, ſcriptiſque conatur oſtendere, ſe nunquam tantum ſcelus concepiſſe (§. 4.): cum ecce Synodus Antiochiæ brevi poſt intervallo coacta ad dejiciendum de gradu hominem, qui Dei Filium purum eſſe, putumque hominem delirabat, omnia ſus, deque vertit, & acta utriuſque Dionyſii abrogat, & reſcindit. Non ſolum enim non declarat, ut optima tuendæ fidei ratio poſtulabat, Filium eſſe Patri homouſion, verum etiam, id, quod reprimendo errori maxime contrarium erat, vocem ipſam homouſion in Romano Concilio, at-

*Satis manifeſte, ut opinor, & valde evidenter oſtenſum eſt, quod Filium Dei de ipſa Dei ſubſtantia natum dixerit, ideſt ὁμοούσιον, quod eſt ejuſdem cum Patre ſubſtantia; & non eſſe creaturam, neque per adoptionem, ſed natura verum Filium, & ex ipſo Patre generatum.* Audiſtin? Animadvertit hic Pamphilus, Filium Dei apud Origenem Patri ὁμοούσιον nominari, quamvis id Origenes non de Filio, ſed, quod eodem recidit, de aporrhœa, ſeu vapore aſſeveret. Suſpicari autem prudenter, meritoque non potes, vocem ὁμοούσιον Ruffini Interpretis manu injectam fuiſſe. Tribus enim in locis Ruffinus græcum vocabulum retinet, ut Lectores admoneat, illud in græcis exemplaribus reperiri; nec latino conſubſtantialis nomine utitur, ne cui nomen videatur de ſuo addidiſſe, atque in opere, quod latine interpretabatur, non ipſum nomen, ſed rem tantummodo nomine ſignificatam reperiſſe.

Interim, ut de vocis homouſion antiquitate conſtaret, adjicere illud nunc poſſem, Auctorem Libri, qui Ποιμάνδρης inſcribitur, & Mercurio Triſmegiſto diu tributus eſt, diſerte Dei Filium Patri homouſion appellaſſe. Auctorem porro Chriſtianum eſſe hominem, nec longe poſt Apoſtolorum tempora emerſiſſe, optime probatum Petavio Lib. 1. de Trinit. cap. 2. §. 3. & 4. Sed Scriptoris ejus auctoritate ad conficiendum, quod volo, mihi opus non eſt. Id tamen notatu erit perutile.

atque a tot Patribus conſecratam proſcribit, planeque repudiat. Quam belle, quæſo, ſibi hæc, & egregie reſpondent? Neque enim vero eſt conſentaneum, tot præclariſſimos & ſanctitate, & doctrina Antiſtites, quot Antiochiam in cauſſa Pauli convenerant, aut neſciviſſe, quod nec ipſos populares latebat, aut ſcientes, prudenteſque id vocabuli, quod veluti quoddam rectæ fidei inſigne, & quaſi nota habebatur, ab uſu Eccleſiæ removiſſe. Ab omni autem veriſimilitudine abhorret, ut rem paucis antea annis in luce totius Eccleſiæ inter utrumque Dionyſium geſtam ignoraverint, multoque magis, ut a debita erga illos pietate, obſervantiaque diſceſſerint, damnantes quod iſti ex veterum inſtituto ſanciverant, cum præſertim hoc ſemper in more poſitum fuerit, ut Patres majorum leges, ritus, conſuetudines diligentiſſime retinerent. Proprium eſt enim Chriſtianæ modeſtiæ, ac gravitatis a majoribus accepta ſervare, ut pulchre docuit Vincentius Lirinenſis. Adde, quod Antiocheni Antiſtites antea Dionyſium Alexandrinum ad Comitia invitaverant (a), ac ſuas litteras omnibus quidem Epiſcopis, ſed nominatim tamen Dionyſio Romano Pontifici, & Maximo Dionyſii Alexandrini ſucceſſori inſcribunt, tantum abeſt, ut eorum decreta, atque ſententias abrogare voluerint. Nam qua demum præ Romano Pontifice auctoritate valebant, ut ejus ſcitis, ſanctionibuſque intercederent? Probatiſſimis ergo hiſtoriæ monumentis repugnat, ut vox homouſion in Antiocheno conventu proſcripta, ac repudiata dicatur.

VII. At enim cum voce ejuſmodi Paulus abuteretur, operæ pretium fuit illam rejicere, ac de medio removere. Præclare vero. Nam ſi homo impius dictione homouſion abutebatur, at caſte, integreque alii utebantur. *Male intelligitur homouſion*, apte reſpondiſſet Hilarius; *quid ad me bene intelligentem* (b)? Satis erat, ut quam illi Paulus falſam notionem ſubjecerat, execrarentur, vociſque vim, ac poteſtatem exponerent (4), quin vocem damnando alii errori- bus

(a) Epiſt. Synod. 2. Concil.

(b) Lib. de Syn. num. 85.

(4) Appoſite eodem loco adverſus Semiarianos Hilarius: *Sed male alius* homouſion *intelligit. Damnemus in commune vitioſam intelligentiam,* non

bus aditum aperire, nullamqne & Patribus, & Romano in primis Pontifici adhibere reverentiam viderentur, a quibus homouſion approbatum non ſolum, ſed etiam quaſi illuſtre quoddam incorruptæ doctrinæ indicium conſtitutum eſſe intellexerant. Viderint igitur, viderint adverſarii cujus demum fuiſſet pietatis, & prudentiæ repudiare vocabulum, cujus cenſoria animadverſio errorem unum oppugnabat, alteri viam muniebat, & quo rejecto, tota majorum, tota Pontificis Maximi labefactabatur auctoritas. Atque hic ego Curcellæum potiſſimum velim, Clericum, cæteroſque heterodoxos Scriptores, qui Nicænam formulam variis nominibus, idque audaciſſime, reprehendunt. Nam ſi imprudenter, ut fingunt, Nicæni Antiſtites verbum homouſion in publicas tabulas retulerunt, quod in Antiocheno Concilio proſcriptum ſit, inconſiderate etiam, ac temere Antiocheni Patres idem nomen non multo ante auctoritate publica conſecratum notaſſent, ejuſque uſum interdictum omnibus voluiſſent. Divine prorſus ex Semiarianorum principiis acutiſſimus Athanaſius, *ſi quis igitur eos*, inquit, *qui Nicææ convenerunt, arguit, quod præter majorum decreta quædam protulerint, is jure ſeptuaginta Epiſcopos reprehendat, quod majorum ſuorum decreta non ſervarint. Prius quippe erant ambo Dionyſii, atque ii, qui tunc temporis Romæ convenerunt Epiſcopi* (a).

VIII. Ad hæc nonne Antiocheni Patres experientia, longoque uſu didicerant, nihil magis eſſe impiis familiare, vel proprium, quam ut ſacrarum litterarum oraculis ad errores ſuos conſtabiliendos nefarie abutantur? Neque tamen colligebat quiſpiam, ea loca continuo averruncari oportere. Unicuique certe facile poterant in mentem venire rationes hiſce ſimiles, quibus Semiarianos poſteriori memoria perſtrinxit Hilarius. *Si timemus*, ajebat hic noſter, *ne homouſion male intelligatur, ergo deleamus in Apoſtolo quod dictum eſt: mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus,*

quia

*non auferamus fidei ſecuritatem*; paulloque poſt, *ſed homouſion poteſt male intelligi? Conſtituatur qualiter bene poſſit intelligi*. Exſilio propemodum gaudio, cum video, tantum virum mihi in diſſolvendo argumento tam belle præire.

(a) De Syn. num. 45.

*quia ad auctoritatem hæreſis ſuæ Photinus hoc utitur* .... *Pereat quoque ad Philippenſes ſcripta epiſtola aut igne, aut ſpongia, ne in ea Marcion relegat, & habitu inventus ut homo, phantaſiam corporis confitens eſſe, non corpus. Non extet Evangelium Joannis, ne Sabellius diſcat, Ego, & Pater unum ſumus. Neque iſti nunc creaturæ prædicatores ſcriptum habeant, Pater major me eſt* .... *Male intelligitur homouſion, quid ad me bene intelligentem* (*a*)? Hæc porro Hilarii, aut id genus ſenſa ſimilia poterant ſe ſtatim offerre Antiochenis Epiſcopis, quæ eos a rejicienda, plectendaque voce homouſion deterrerent. Quod igitur conſubſtantialis vocabulo Paulus abuti potuerit, fatearis neceſſe eſt, cauſſam eſſe nullam, cur illud a Patribus proſcribi debuiſſe affirmemus; aliunde cum optimæ nobis ſuppetant rationes, quamobrem ſtatuamus, reipſa proſcriptum non eſſe (§. *6.*), exinde allati a nobis argumenti vis nullo modo enervatur.

IX. Quin etiam non leve illi auctoritatis pondus, ac momentum adjicitur ex quibuſdam litteris adverſus Paulum Samoſatenum conſcriptis, ubi homouſion plane, aperteque dicitur a noſtris majoribus in exponenda Filii divinitate uſurpatum. Litteræ ſic inſcribuntur. *Beati Dionyſii Archiepiſcopi Alexandrini epiſtola adverſus Paulum Epiſcopum Antiochiæ. Dionyſius, & Compræsbyteri Eccleſiæ Alexaadrinæ in Domino ſalutem* (*b*). Quamvis autem hanc epiſtolam a Turriano latine redditam Turrianus ipſe, Cæſar Baronius, Petavius, aliique complures inſcriptionis ratione adducti Dionyſio noſtro fidenter adſcripſerint, nihilominus alicui potius ex Patribus, qui ad Antiochenas Synodos convenerunt, acceptam retulerim. Nam, ne quid dicam de ſtilo, ex quo argumentatur Valeſius (*c*), Antiocheni ſecundi Concilii Antiſtites in ſuis litteris luculenter docent, Dionyſium ad Eccleſiam tantum Antiochenam, non ad Paulum ſcripſiſſe, immo huic ne ſalutem quidem dixiſſe. *Scripſit quidem*, ajunt *Antiochiam, ſed erroris ducem ne ſalutare quidem dignatus*

(*a*) Lib. de Syn. num. 85.
(*b*) Apud Labb. Tom. 1. Concil.
(*c*) Not. ad Lib. 7. Euſeb. cap. 30.

Digitized by Google

*tus eſt*, *neque ad eum nominatim*, *verum ad univerſam Antiochenſem Eccleſiam litteras ſuas direxit* . At in epiſtola , quæ Dionyſii nomine circumfertur , is ſemel , aut bis Paulo ſcripſiſſe litteras dicitur in hæc verba: *reſcripſimus ad ea*, *quæ prius ſcripſiſti* (*a*) . Quæ loca cum inter ſe non cohæreant, epiſtola, de qua agimus, Dionyſio abjudicanda eſt, veriuſque cum Pagio (*b*), Caveo, & Fabricio alicui de Epiſcopis, qui Antiochenis illis Conciliis interfuerint , adſcribetur. Nam certe quidem ex his uni, niſi Dionyſio tribuenda. Jam vero hujus Auctor epiſtolæ de homouſio perhonorifice meminit, cum Dei Filium *Verbum Patris* appellet , *per quod omnia Pater fecit* , *& quod SS. Patres homouſion* (5) *Patri dixerunt* , λόγον τοῦ Πατρὸς , δἰ ὃ τὰ πάντα ἐποίησεν ὁ Πατὴρ, καὶ ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ εἰρημένον ὑπὸ τῶν ἁγίων Πατέρων (*c*): rurſus igitur in vetera monumenta non quadrat opinata illa noſtræ vocis damnatio . Cui rationi ſua omnino conſtat vis, quocumque demum te verteris. Ea enim adverſus Paulum epiſtola vel in prioribus, vel in poſterioribus Antiochenis Comi-



(*a*) Init. Epiſt.

(*b*) Ad ann. 264. num. 3.

(*c*) Apud Labb. ibid. pag. 875.

(5) Tam præclaro hujus epiſtolæ teſtimonio , §. 4. & 5. ac nota 3. permoti Limborchii, multoque magis Sandii vel inſcitiam , vel impudentiam mirari ſatis non poſſumus , qui ( de Script. Eccleſ. pag. m. 39. 40. ) non ſolum vocem homouſion ante Nicæna tempora novitatis accuſat , verum ipſum quoque Athanaſium temere ſcribit, in eorum verſatum ſententia, qui faterentur, vocem illam in Nicæno demum Concilio a Patribus fabricatam fuiſſe. Vides præterea, humani aliquid paſſum eſſe, virum alioquin & ſapientiſſimum , & ſanctiſſimum Auguſtinum , cum Lib. 3. contra Maxim. cap. 14. & tract. 97. in Joan. ait : *adverſus impietatem Arianorum hæreticorum novum nomen homouſion Patres condiderunt* ; ſimiliterque Vigilium Tapſitanum, qui in Dial. coram Probo Athanaſium , & Arium in hæc verba diſputantes inducit : *quoniam res antiqua novum nomen homouſion accipit*, *non vocabulo novo novæ rei virtus acceſſit* , *hoc utique requiro*, *utrum res*, *quæ antiqua eſt*, *ſimul a te cum nominis novitate damnetur*. Non enim vox homouſion nova erat vox, nec primum in Nicænis Comitiis ad profliganda impia Arii dogmata uſurpata eſt. Boni tamen Scriptoris candor poſtulare videbatur , ne heterodoxi Theologi hæc Auguſtini , & Vigilii loca avide arriperent, ut inde vocem illam, veluti novam , vetuſtiſque Patribus ignotam traducerent, cum ipſi aliunde locupletiſſimis teſtimoniis, & argumentis, quæ protuli, uberrime refellantur.

tiis prodiit : ſi in prioribus , ſuperius redit argumentum (§. 6.), hoc amplius, quod in eadem Pauli cauſſa vox homouſion fuiſſet adhibita, nec proinde extrema initiis, quod turpe eſt, conveniſſent : ſi vero in poſterioribus, aperte liquet, homouſion probatum fuiſſe, non ſuppreſſum, aut obliteratum ſilentio.

X. Accedit alterum, & mea quidem ſententia graviſſimum argumentum ex illorum petitum ignoratione, & ſilentio ( ſunt hi autem in duplici genere poſiti, noſtri, & Ariani ), a quibus res ignorari non poterat, nec ſilentio prætermitti. Factum enim, quod Patribus Antiochenis affingitur, in ſquallore, & tenebris jacuit totos fere annos 90, quot ſcilicet numerantur a ſecundo Antiocheno Concilio uſque ad annum 358, quo Ancyræ Semiarianorum Synodus habita eſt, ac cœpit tandem damnati homouſii aliquod apparere veſtigium. Sic ergo exordior.

XI. Si Antiocheni Antiſtites ſuis ſententiis conſubſtantiale de medio ſuſtuliſſent, debuit certe ejus decreti fama in omnes regiones pervadere, cum litteras ſuas de geſtis abs ſe ſe rebus ad omnes Eccleſias miſerint, ut ipſa illarum declarat inſcriptio his verbis contexta : *Dionyſio, Maximo, & omnibus ubicumque in orbe terrarum collegis Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconis, & univerſæ, ac catholicæ ſub cœlo Eccleſiæ* (6). Quamobrem ſi tantum turbarum, atque tumultuum conflatum eſt, cum unus Dionyſius in nonnullorum Pentapolitarum odium, atque offenſionem incurrit (§. 4.), quan-

(6) Hæc Antiochenorum Patrum epiſtola cum Romam perlata eſt, Summus Pontifex Dionyſius jam e vivis exceſſerat. Blondellus in Libro contra Primatum Romani Pontificis deduci hinc poſſe contendit, Romanum inter Pontificem, & Orientis Antiſtites non magnam olim neceſſitudinem interceſſiſſe, cum hi parum de Dionyſii ſtatu ſolliciti eſſent, nec quidquam de illius morte audiviſſent. Sed hallucinatur Blondellus, errorque ex eo oritur, quod falſo exiſtimet, Antiochenam ſecundam Synodum exeunte anno 270 convocatam, vel coactam fuiſſe. Ex alia vero parte Orientis Epiſcopos cum Romano Pontifice magnum habuiſſe commercium, ſupremamque ejus in omnes Chriſtiani Orbis provincias auctoritatem agnoviſſe, ut cætera argumenta diſſimulem, ex ipſa hujus epiſtolæ inſcriptione, ex Pentapolitarum ad Dionyſium litteris &c. colligere Blondellus manifeſte poterat, ſi quidem ingenuus eſſe voluiſſet, nec partium ſtudio, quod ſane dedecet, plus æquo obtemperaſſet.

quanto turbarum plus exortum fuiſſet, ſi ſeptuaginta, eoque amplius ſacrorum Antiſtites (7) apud omnes Eccleſias offendiſſent, neque levem de ſe, rebuſque a ſe geſtis injeciſſent ſuſpicionem, ſed conſignata publicis monumentis, ac litteris dediſſent indicia: idque eo maxime tempore, quo utriuſque Dionyſii factum omnium ſermonibus percrebuerat? Nunc tamen neminem muſſitaſſe, nedum decreto illi non reclamaſſe invenimus, immo Synodi acta, ne excepta quidem, cujus agebatur auctoritas, Roma, omnium favore, plauſu, gratulationibus ubique excipiuntur, ſemperque in pretio, & honore ſunt habita. Quem, oro, non moveat, in re potiſſimum ad Religionem ſpectante, tantum, tam lateque diffuſum ſilentium?

XII. Saltem ab Arianis decretum ejuſmodi, ſi quod emanaſſet in lucem, ignorari non poterat, cum primi Ariani & complures Antiochenos Patres vidiſſent, & litteræ in omnium manibus verſarentur, & illi undequaque errorum ſuorum præſidium, patrociniumque conquirerent. Cito ergo, quod ait Maranus, olfeciſſent venatici illi canes, ſi quid in vocabulum homouſion hiſce litteris conſtitutum fuiſſet, nec rem ſibi optatiſſimam vel alibi, vel in Nicæno Concilio diſſimulandam putaſſent. Decretum, inquis, Arianos non latuit, ſed objicere noluerunt. Longe id vero abeſt, ut ſuſpicer. In hac enim controverſia, in qua veluti pro aris, & focis acerrime pugnabatur, nemo paullo prudentior aut oblivionem, aut negligentiam Arianis affinget hominibus, qui nihil ſolebant intentatum relinquere, quo decreta ſua defenderent. Quam igitur probabilem afferes rationem, cur



(7) Epiſcopos, qui Antiochiam Paulum e gradu, ac loco moturi convenerant, Athanaſius 70. fuiſſe commemorat, 80. Hilarius, alii multo plures. Athanaſio, & Hilario aſſentiendum exiſtimo, etſi univerſa re, ac ſententia differre inter ſe videantur. Nam ſi aliquot ſupra ſeptuaginta confluxiſſe Epiſcopos Antiochiam ſtatuamus, numero pleno, ac rotundo, ſeptuaginta, vel octoginta ſine veritatis injuria dici poſſunt. Pagius hanc Scriptorum diſcordiam aliter componi poſſe arbitratur. Illud omnino veluti certum crediderim, quod qui prope innumerabiles, aut pene infinitos Antiſtites eo conveniſſe ab Euſebio narrari putant (Lib. 7. hiſt. cap. 29.), interpretatione Valeſii decepti ſint, a quo Euſebii verba πλείστων ὅσων ἐπισκόπων, *numero prope innumerabilium*, latine redduntur. Verti enim e græco debuerat, *quamplurimorum Epiſcoporum*.

ab Antiochenis ad Ancyrana uſque Comitia nemo unus celebrati illius decreti meminerit, nullum prorſus ea de re verbum, immo ne ſyllaba quidem in veteribus monumentis occurrat? Habuerunt enim Ariani & ſæpe alias, & in Nicæno præſertim conventu, ubi præclaram illam ſuam eloquentiam, atque eruditionis copiam oſtentarent. Nam quanto animi ardore, atque impetu certatum hic ſit, ne conſubſtantiale Nicænæ formulæ adderetur, ignorare arbitror neminem. Ariani nonnulli, Socrate (*a*), Sozomenoque (*b*) teſtantibus, vocem obruendam ſilentio clamabant, quod Sabelliani, vel alii falſam ei ſententiam poſſent ſubjicere, comminiſcentes, voce iſtiuſmodi partitionem ſignificari ſubſtantiæ: quapropter res diu, ac ſerio in deliberatione verſata eſt: iidem tamen fuiſſe id nominis Antiochiæ ſublatum e medio tacuerunt. Non diſſimiliter diſputabat cum ſnis Arius in epiſtola, quam Alexandro Alexandrino Antiſtiti obtulit, in qua profitebatur, *non eſſe Filium, ut Manichæus volebat, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ partem*, ὐδ' ὡς Μανιχαῖος, μέρος ὁμοούσιον τοῦ Πατρὸς τὸ γέννημα εἰσηγήσατο (*c*), at neque hic Arianæ cohortis dux Antiochenum edictum, vel decretum commemorat. Per idem tempus ex Pauli Samoſateni diſcipulis multi ſupererant. Hos quippe Nicæni Patres perſtringunt 19. illo Canone, quo ſcitum eſt, ut, ſi Paulianiſtæ ad noſtros redierint, ſalutaribus aquis antea expientur. Suſpicari Ariani facile poterant, Paulianiſtas verbo homouſion abuſuros, ſi iterum revocaretur in ſcenam, reclamandi præſto erat occaſio; nec reclamant tamen, taciturni omnes, muti, elingues. Mirum! Levem, ais, quæſtionem moviſſent. Levem ne, an gravem non diſputo. Hoc ſcio, Arianorum ingenium fuiſſe ad quodvis arripiendum proclivius, quam ut illos ſilere permitteret. Nullos enim hæc hominum natio conatus non adhibuit, ut homouſion oppugnaret. Saltem Ariani in Nicænis Patribus deſideraſſent prudentiam, qui, Paulianiſtis adhuc ſuperſtitibus, vocem reciperent, & referrent in tabulas, quam ad illorum refellen-

(*a*) Lib. 1. cap. 6.
(*b*) Lib. 3. cap. 18.
(*c*) Apud Epiph. hær. 69. num. 7.

lendos errores Antiocheni olim Antiſtites proſcripſiſſent. Sua id ſponte ſuccurrebat in mentem, neque homouſii oſores tam religioſe ſilentii leges ſervaſſent.

XIII. Quod autem a Georgio Bullo confidenter dictum reperio, dubitandum non eſſe, quin in Nicænis Comitiis præcipua hæc de Antiochenorum Patrum decreto difficultas, vel ratio propoſita fuerit, ſtudioſeque ad trutinam revocata (*a*), in eo & hominis prudentiam deſidero, & mihi immortaliter gaudeo. Prudentiam in primis viri docti deſidero. Nam, ut modeſtiæ cauſſa Tullii utar ſententia, *quid ſtultius, quam objicere adverſario, quod ille ſi verbo negavit, longius progredi non poſſit, qui objecerit* (*b*)? Deinde immortaliter mihi gaudeo. Cum enim Bullus, etſi aſſeveranter loquatur, meris tamen ducatur ſuſpicionibus, vel conjecturis, neque enuntiationis ſuæ ſpecioſam aliquam afferat rationem, immo ne afferre quidem poſſit, ſuis ipſe dictis argumenti noſtri vim, & efficacitatem agnoſcit. Agnoſcit enim, ac probat, produci ab Arianis decretum Antiochenorum Antiſtitum debuiſſe, ſi quidem illi vocem homouſion condemnaſſent, licet in eo ſine dubio erret, quod decretum reapſe productum eſſe aſſeveret. Bullum autem errare, & Theologos habeo confitentes, & ex ſuperioribus, aliiſque, quæ mox ſubjiciam, probatiſſimis documentis non difficulter efficitur. Verius igitur ex Arianorum, ut arbitror, aliorumque adductus ſilentio argumentatur Stephanus Curcellæus (*c*), qui congregatos Nicææ Pontifices nihil de Antiocheno decreto audiviſſe contendit, niſi quod præpoſtere exinde cogit, eos per imprudentiam vocabulum homouſion ſacræ formulæ adjeciſſe, cum hoc potius cogere debuiſſet, Antiochenum illud decretum eſſe ad fabulas amandandum. Vides ex his, quæ demum efficientia ſit veritatis, quæ interdum etiam ab invitis aſſenſum extorqueat. Nam vel ipſi adverſarii argumentis noſtris pondus ſententiis ſuis, auctoritatemque conciliant. Pergamus igitur tam bonis avibus, ſilentiique perpetuitatem, atque conſtantiam, quod

(*a*) Defenſ. Fid. Nic. ſect. 2. cap. 1. §. 10.
(*b*) In M. Antonium Philipp. 2. 4.
(*c*) Loc. ſupra cit.

quod expendendum ſuſcepimus, adhuc ſtudioſius inveſtigemus.

XIV. Nam ſi muti, ut docui, Ariani, non minus mutus, aut elinguis cupidiſſimus Arianorum Euſebius. Is enim in epiſtola, quam Nicæno dimiſſo conventu ad ſuos Cæſaream dedit, homouſion a noſtris Majoribus uſurpatum agnoſcit, eoque permotum ſe ait, cur idem probaret, damnatum tamen, ejuſque interdictum uſum ignorat. Ἐπὶ καὶ, inquit, τῶν παλαιῶν τινας λογίους, καὶ ἐπιφανεῖς ἐπισκόπους, καὶ συγγραφέας ἔγνωμεν ἐπὶ τῆς τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ θεολογίας τῷ τοῦ ὁμοουσίου συγχρησαμένους ὀνόματι. *Novimus enim, & veterum nonnullos doctos, & illuſtres Epiſcopos, ac Scriptores, cum de Patris, ac Filii divinitate agerent, uſos eſſe conſubſtantialis vocabulo* (a). Idem Euſebius etſi bonam litterarum Antiochenæ Synodi partem in librum ſeptimum hiſtoriæ ſuæ tranſtulerit, nullum in ea nihilominus de capitali conſubſtantialis judicio neque verbum, neque veſtigium. Decretum ne in altera epiſtolæ parte extitiſſe putabimus? At quis ſibi facile perſuadeat, Euſebium tam male hic de Arianis meritum eſſe, ut quæ eorum cauſſæ favere videbantur, ea de induſtria diſſimulare voluerit, poſteriſque invidere? Euſebius enim, niſi ſecta, & diſciplina, at certe ſtudio erat, voluntatéque Arianus. Euſebius in Nicæno Concilio ſuum in homouſion odium patefecit, nec prius nomen a ſe admiſſum teſtatur, quam declaratum eſt, ipſo Conſtantino explicante, non ita homouſion dici Dei Filium, uti in creatis rebus uſuvenit. Euſebius tandem ficte, fraudulenter, atque ob Imperatoris metum Nicænam formulam ſubſcribendo approbavit. Si quid igitur de Antiochena illa proſcriptione explorati habuiſſet, nihil mehercule pro benefica iſta ſua in Arianos natura occultaſſet.

XV. Summum etiam conſecutis deinde annis Arianorum ſilentium. Hi decreta Nicænorum Antiſtitum adverſus Athanaſii Amicum variis nominibus reprehenderant, cui Athanaſius morem ut gereret Epiſtolam de Synodi Nicænæ decretis ex induſtria conſcribendam ſuſcepit: conſcripſit autem omnino inter annos 350, & 354, poſtquam ipſe, Gregorio Pſeu-

(a) Apud Socr. lib. 1. hiſtor. cap. 8.

Pſeudo-Epiſcopo interfecto, Alexandriam redierat, quemadmodum Maurinæ Alumni Familiæ præclare viderunt (*a*). In ea ergo Epiſtola Ariani conquiſitis undequaque ſingulari cum diligentia argumentis vocabulum homouſion criminantur, ideſt maximas in tota Epiſtola nugas agunt, nuſquam cenſuræ, quæ Antiochiæ lata eſt, mentionem injiciunt. Eadem perfidi, quæ ſæpe alias, proferunt aculeata ſophiſmata, nihil veriti, ne illud ſibi quiſquam in aures inſuſurret

. . . . . . . . . . . . . . . *Et citharædus*
*Ridetur*, *chorda qui ſemper oberrat eadem* (*b*),

ubi vero de homouſio ab Antiochenis Patribus condemnato eſſet dicendi locus, ſtatim obmuteſcunt, recordantur nihil, labunturque memoria. O homines obliviosos! Commodum Arianis occurriſset Simonides, aut quiſquis olim Themiſtocli artem memoriæ pollicebatur (*c*), quando ubi maxime opus memoria erat, nullam rerum ſuarum recordationem habebant. Et ſane non in hac ſolum epiſtola, verum in aliis etiam Athanaſii libris antea compoſitis, in quibus commodum Arianis fuiſset de homouſii damnatione diſserere expreſſa, & illuſtria immemoris ingenii ſigna ediderunt. Iidem anno 357 novam Sirmii doctrinæ formulam promulgarunt, in qua exſecrationibus publicis ſancitum eſt, ne conſubſtantialis mentio fieret, quod ea vox ſit a divinis litteris aliena, hominumque captum, intelligentiamque tranſiliat, binas ſcilicet deprecandæ temeritatis gratia ratiunculas afferunt & leviſſimas, & perinfirmas, Antiocheni tamen decreti, quod erat in ſpeciem ad concludendum commodius, egregie hic etiam obliviſcuntur. Innumerabilia dici poſſent in hanc ſententiam; ſed non neceſſe eſt. Nihil eſt enim, de quo minus dubitari poſſit, quam cenſoriam conſubſtantialis proſcriptionem iis, qui neque rem ignorare, neque ſilere poterant, ignotam prorſus, atque ſilentio prætermiſſam fuiſſe.

XVI. Cui igitur gravem taciturnitas iſta ſuſpicionem non afferat? Fateor enim, eſſe argumentum ex eorum numero

(*a*) In Præfat. ad hanc Epiſt.
(*b*) Horat. in Arte.
(*c*) Cicero de Fin. lib. 2. cap. 32.

ro unum, quæ negativa appellamus; at certe, adjunctis, rebuſque omnibus diligenter perpenſis tantam præ ſe ferre videtur vim, quanta vix major in hoc controverſiarum genere optari poſſit. Quæro enim de te: an non maxime clara, atque teſtata Criticæ præceptio eſt, facta illa fabulam ſapere, de quibus nemo unus meminit, quorum tamen meminiſſe intererat, & quibus perſæpe mentionem faciendi oblata fuit occaſio? Id autem in nullam rem aptius, quam in Antiochenum decretum quadrat, cujus, ut noſtros omittam (§.11.), ne verbum quidem fecere Ariani, etſi his & commemorare prodeſſet, & ſæpe etiam teſtificandi facti locus peropportunus ſuppeteret (§.12. 14. 15.). Argumentum vero illuſtriorem adhuc apud heterodoxos Theologos auctoritatem habere debet, qui frequenter ex unius, aut alterius Scriptoris ſilentio de rebus etiam exploratiſſimis, atque certiſſimis pugnaciſſime litigant. Vos ne, mi Clerice, cæterique, inventionem Crucis Chriſti O. M. inter commenta, ac fabulas referetis, quod Euſebius auctor coævus ea de hiſtoria conticeſcat, etſi Cyrillus, & Ambroſius, qui eodem ſcripſere ſæculo, perſpicua rei teſtimonia, ac monumenta reliquerint; ego autem ex ſummo, conſtantique Arianorum ſilentio, quibus præſertim in locis exultare hominum debuiſſet oratio, non efficiam, nec concludam, Antiocheno Senatui nihil unquam minus in mentem veniſſe, quam ut in vocabulum homouſion animadverteret?

XVII. Quamquam quid diſputo? Illuxit, illuxit tandem, Antiochenique Senatus conſultum e ſordibus, cæciſque tenebris, ubi 90 annos blattis, ac tineis fere exeſum jacuerat, in lucem revocatum eſt. Nec amplius elingues, muti, taciturni Ariani; diuturni enim ſilentii, quo hactenus prudentiæ cauſſa uſi fuerant, finem aliquando tandem Synodus attulit Ancyrana. Ego hic reſpirare jam cœperam, dulcemque veritatis lucem apertis oculis intueri, cum repente animo recolens, factum, de quo diſputatur, non aliis fultum eſſe teſtibus, niſi Semiarianis hominibus, ad ingenium redii, in ſuſceptaque obdurui ſententia huic nixus, fretuſque argumento, ea facta, veluti commentitia repudiari oportere, quæ a nullis idoneis teſtibus, quæ ſero, quæ ſine ratio-

tionum momentis ab hominibus, quorum illa intererant, narrata ſint, publiciſque litteris conſignata. Merito ne, an immerito movear, ex his cordatus Lector intelliget.

XVIII. Itaque omnium primi Semiariani in quadam epiſtola *de Homouſii, & de Homouſii expoſitione* conſubſtantialis vocabulum in poſterioribus Antiochenis Comitiis proſcriptum dixerunt. Sic enim apud Hilarium loquuntur. *Patres noſtri, cum Paulus Samoſatenus hæreticus pronuntiatus eſt, etiam homouſion repudiaverunt, quia per hanc unius eſſentiæ nuncupationem ſolitarium, atque unicum ſibi eſſe Patrem, & Filium prædicabat* (a). Rei tamen, quæ id generis hominum auctoritati unice innititur, fidem adhibendam non eſſe, multis nominibus perſuaſiſſimum habeo. Nam primum cum Semiarianis foret Nicæna vox odioſa, planeque inviſa, eorundem intererat plurimum, ut quod ipſi faciebant, idem olim Antiocheni Antiſtites feciſſe viderentur. Ex hac igitur parte illorum auctoritas concidit (8). Ob effrænem in homouſion odium eo temeritatis progreſſi ſunt, ut ſacram, ac ſalutarem vocem, indicta cauſſa, proſcripſerint. Εἴ τις ἐξυσίᾳ, καὶ ὐσίᾳ λέγων τὸν Πατέρα Πατέρα τοῦ Υἱοῦ ὁμοούσιον, ἢ ταυτοούσιον λέγοι τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ, ἀνάθεμα ἔςω. *Si quis Patrem poteſtate ſimul, & ſubſtantia Filii Patrem aſſerens conſubſtantialem, vel ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ Filium eſſe dicat, anathema ſit* (b). Quid autem, quæſo, magis opportunum ad hanc præpoſteram agendi rationem aliqua pietatis ſpecie conveſtiendam, quam cenſoriam Antiöcheni Concilii animadverſionem prætendere? Nemo id in quæſtionem adduxerit. Deinde quoſnam hujus hiſtoriæ, aut narrationis ſuæ teſtes in medium protulerunt? Quos prædes dedere? Quæ argumenta? Nimis enim ſero prodierunt in ſcenam, quam ut eis, ideſt ſuſpectis hominibus, prima ſtatim denuntiatione fides ſine ullis teſtibus habeatur. Simili olim argumento Auguſtinus objecta a Petiliano



(a) Hilar. lib. de Syn. num. 81.
(b) Apud Epiphan. hær. 13.
(8) Egregie Cicero lib. 2. de Orat. cap. 15. *Quis neſciat, primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis?*

liano in Marcellinum, alioſque Romanos Pontifices crimina diluebat. *Marcellinus*, inquit, *& Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Sylveſter thurificationis ab eo crimine arguuntur: ſed numquid ideo etiam convincuntur? Aut convicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos, & ſacrilegos fuiſſe dicit: ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam* (*a*)? Non poterat ſubtiliſſimus homo Auguſtinus noſtram expreſſioribus verbis corroborare ſententiam? Nam noſtri illi, etſi id maxime neceſſarium eſſet in re hactenus inaudita, quam ſuſpicari merito poterant, ab adverſariis rejectum iri, ne ipſas quidem Synodi auſi ſunt litteras, vel decretum exſcribere. In controverſia igitur ab eorum temporibus diſſita, & cum antiquioribus monumentis perſpicue diſcordante (§.6. 9.), nullo modo poſſumus, ſalva veritate, fidem Semiarianis adjungere. Nec certe facile nobis in animum inducimus, ut credamus, id illos longo poſt tempore inveniſſe, quod neque hiſtoriæ parens Euſebius, neque Ariani, ſagaciſſimi rerum ejuſmodi venatores in Antiochenæ Synodi litteris repererunt. Quod ſi id felicitate quadam doctrinæ ſoli ſciverint Semiariani, cur tanti momenti rem abſque ulla teſtificatione prodidere?

Narro tibi: ſponſionem libentiſſime fecerim, nec Synodi epiſtolam ab iis fuiſſe lectam. Ajebant enim, ut vidimus, Antiochenos Patres in homouſion tuliſſe ſententiam, quod Paulus vocabulo abuſus *unicum ſibi eſſe Patrem, & Filium prædicabat*. At nunquam tale de Paulo judicium Antiochenis Patribus Semiariani affinxiſſent, ſi eorum litteras adjiſſent. Nam in ea litterarum parte, quam ſua nobis diligentia Euſebius ab oblivione, & interitu vindicavit, Paulus arguitur, impietatiſque accuſatur, quod Dei Filium e Cœlo veniſſe inficiaretur, quod ortum e terra effutiret, quod in Artemonis perfidia ſe ſe plurimum oſtentaret; quod vero illum cum Patre confunderet, equidem non reperio (*b*). Profecto nullo modo credibile eſt, impium hominem di-

(*a*) Lib. de Unico Bapt. cap. 16.
(*b*) Vid. Euſeb. lib. 7. hiſt. cap. 30.

Digitized by Google

dictione homouſion uti voluiſſe, ut exinde unam in Deo eſſe perſonam efficeret. Nam primum ad unicam perſonam vox illa transferri nequit, cum nemo ſibi ipſe homouſios dici poſſit. Probe id intellexit Baſilius, qui epiſt.62. alias 300 *vox iſta homouſios*, ait, *Sabellii impietatem corrigit: tollit enim hypoſtaſeos identitatem, perfectamque perſonarum notionem inducit: non enim idem ipſe ſibi conſubſtantiale eſt, ſed alterum alteri*. Et Ambroſius 3. de Fide Libro cap. 7. *recte homouſion Patri Filium dicimus, quia verbo eo & perſonarum diſtinctio, & naturæ unitas ſignificatur*. Pieque idcirco, ac ſcite docuit Bellarminus, nomen illud divinitus excogitatum videri ad contrarios Arii, & Sabellii errores proſternendos (*a*). Deinde cum τῆς οὐσίας, uſiæ vocabulum ſuopte ingenio eſſentiam, ac naturam ſignificet, nullumque ante Pauli ætatem exemplum produci poſſit, quo oſtendatur, ei vocabulo perſonæ notionem, ac vim ſubjectam fuiſſe, ut docte Laurentius Berti animadvertit (9), longe a vero diſtat, Paulum ea de cauſſa dictionem homouſion probaviſſe, ut plures a Deo perſonas excluderet. Antiocheni quippe Pontifices duobus verbis reſpondiſſent, uſiam non perſonam, ſed naturam, aut eſſentiam deſignare, Paulique errores tanquam pueriles levi negotio confutaſſent. Semiariani igitur, vides, ne ipſam quidem Antiocheni Senatus legerunt epiſtolam. Quare cum factum, de quo diſſeritur, nullis idoneis, probatiſque teſtibus muniatur, ſed a ſuſpectæ fidei hominibus, quorum intererat, rem ita eveniſſe, ſine ullo argumentorum genere, ſeroque nimis narretur, ſine dubio relinquitur, omnia illud νοθείας, ſeu falſitatis indicia præſeferre; atque id eo magis, quod Semiariani fontes, ex quibus rei petenda erat cognitio, non adierunt.

 XIX. Tot

(*a*) Lib. 2. de Chriſt. cap. 3.

(9) De Theolog. Diſciplin. lib. 7. cap. 13. Tom. 2. pag. m. 104. Id ipſum antea docuerat Stephanus le Moyne (Notæ, & Obſervat. in varia ſacra Tom. 2.), qui verbum homouſion a Sabellianis uſurpatum negavit. Quomodo enim, inquit, qui divinas perſonas a ſe ſeparatas eſſe inficiabantur, & unicam tantum admittebant, dictionem homouſion ad confirmandos errores ſuos vel excogitaſſent, vel excogitatam ab aliis adhibuiſſent? Sed dignus eſt Auctor, qui in hac controverſia conſulatur. Mihi enim brevitati, quoad res patitur, ſerviendum eſt.

XIX. Tot ſeptus, ac munitus præſidiis æquo nunc animo patiar, ut Antiocheni diplomatis teſtes appelles, ac proferas Athanaſium in primis, Hilarium, Baſilium, tum alios, ſi vis, auctores, qui poſteriori memoria floruerunt. Etenim multa, nec ſane levia, aut fucata ſunt, quibus tantorum virorum teſtimoniis occurramus. Ac principio quidem viri ſanctiſſimi Athanaſius, Hilarius, Baſilius (nam de cæteris minus laboro) de Antiochena in conſubſtantiale ſententia mentionem fecerunt, Ancyrano jam conventiculo habito. Athanaſius enim facti ejuſmodi meminit in Libro de Synodis Arimini, & Seleuciæ, quarum utraque anno 359 convocata eſt, integro ſcilicet anno poſt Synodum Ancyranam. Eum igitur librum poſt Ancyrana Comitia Athanaſius edidit, quemadmodum etiam librum item ſuum de Synodis Pictavienſis Hilarius, quippe qui ex Canonibus Ancyræ perſcriptis 12 in hoc libro recenſeat, immo & epiſtolam ab Ancyranis Legatis Sirmium delatam commemoret. Atque hic eſt liber ex Hilarii operibus, in quo primum Antiocheni edicti deprehenduntur veſtigia. In aliis antea divulgatis fruſtra perquiras. Baſilius tandem ejuſdem edicti reliquit memoriam in 52, alias 300 Epiſtola, quam cum ſcripſerit, Maurinis alumnis docentibus, ipſis ſui Pontificatus initiis, conſtat quod mihi erat ad concludendum propoſitum. Auctore enim apud Bellarminum Labbeo (a), Baſilius anno circiter 369 Cæſarienſis renuntiatus eſt Pontifex. Etſi ergo Athanaſius, Hilarius, atque Baſilius decreti Antiocheni meminerint, quia tamen poſt Ancyranæ Synodi tempora rem litteris prodiderunt, neque aliunde, quam a Semiarianorum Familia facti hujus manavit cognitio (§.18.), illorum teſtificatio, ut mittam cætera, quæſtionem non dirimit, cum præſertim nulla ipſi afferant argumenta, quibus aliquis convincatur. In eam ut diſcedamus ſententiam, movemur hac Criticæ regula, quæ omnium approbatione, & judicio rectiſſime præcipit, ut quæ facta teſtes coævi, & antiquiores non memorant, tunc in primis, cum narrare debuerant, in dubium revocentur, multoque magis, cum aliqua ſuppetunt repugnandi argumenta. Quare cum de Antiocheno in homouſion decreto nunquam noſtri

(a) De Script. Eccleſ. pag. m. 85.

ſtri (§.11.), nunquam Ariani, etſi ſæpiſſime debuiſſent, totos 90 annos meminerint (§.12.14.15.), omniumque primi Semiariani, nullius nimirum in hac cauſſa auctoritatis, ac fidei homines illius mentionem injecerint (§. 18.), aliunde ipſum decretum cum probatiſſimis monumentis pugnet (§.6. 9.) ſuperior regula obſtat, & impedit, ne Patrum, quos proxime nominavi, teſtimoniis ſine conſiderantia acquieſcamus. Nam unde tandem hi Patres facti notitiam habuere? Non ex aliis profecto, alte ſpectare ſi voles, quam ex Semiarianorum fontibus, quos veluti impuros, & lutulentos rejicimus, atque averſamur.

XX. Fortaſſe, inquies, ſuperiorem, cui nitimur, regulam, falſitati obnoxiam eſſe, & ambiguam, quippe cum in Latinis Scriptoribus Phædro, & Curtio non obtineat, quorum opera etſi nemo unus coævus auctor recenſeat, genuina tamen haberi debent. Falleris profecto, audacter dico. Negantis enim argumenti non eadem ſemper eſt vis, nec auctoritas. Nam qui aliquid tacet, is continuo non negat, tantum oſcitantiæ, aut ad ſummam malitiæ poteſt coargui; quod ſi ergo non negat, certe hiſtoricorum ajentium fides tota perſtat adhuc, & permanet, neque ſuperiorum ſilentio elevatur. Hinc immerito quis aureas Phædri fabulas tanquam genuinas vereretur accipere (ſimiliter enim de Curtii opere ſtatues), quod Tiberii ætate, qua Phædrus vixit, vel floruit, nemo illarum meminerit, ſed omnium primus Avienus Theodoſii magni temporibus eaſdem fabulas in lucem, adſpectumque produxerit. De argumento autem, quo utimur, ne verbum homouſion tam gravi ſupplicio ab Antiochenis Patribus vindicatum putemus, longe aliter ſentiendum. Non ſolum ſiquidem noſtri, non ſolum perdiu ſilent Ariani, ſed tum maxime hi obmuteſcunt, cum ſuam debuiſſent eloquentiam perorando oſtentare; adſunt præterea gravia repugnandi argumenta, ne id genus vocabulum proſcriptum eſſe arbitremur. Atque hoc, non antecedens, argumentum illud eſt negativum, quod maximi ſemper ponderis viris doctis eſt habitum, & quo nos merito adducimur, ne Athanaſii, ne Hilarii, ne Baſilii, quorum alioquin veneranda nobis eſſe debet auctoritas, accipiamus in re Critica teſtimonium. Abs te amice Lector,

etiam,

Digitized by Google

etiam, atque etiam peto, ut argumentum in primis ex alto ductum Arianorum ſilentio pacato animo, ac diligenter expendas; omnino enim ſic tibi perſuaſum iri confidimus, nos non ſine cauſſa & graviſſima, & maxima a tantorum Patrum ſententia, modeſte licet, ac verecunde, deſciſcere.

XXI. Ne quis tamen exiſtimet, ſpecioſas elabendi cauſſas me quærere, nondum illos dimitto. Neque enim Athanaſius, Hilarius, Baſilius aut rem ſuo nomine referunt, aut ulla ejus proferunt documenta, ſed ab adverſariis objectam hiſtoriam ita concedunt, ut non tam illam exploratam, ac perſpectam habere, quam humanitatis cauſſa negare nolle videantur. Quo certe fit, ut immerito tanquam teſtes, vel judices in hac controverſia appellentur, nec vere nos illorum auctoritati nuncium remittamus. Audi, ſi me amas. Etenim, quin nemo trium ejuſmodi Antiſtitum decretum Antiochiæ editum legerit, negari non poteſt. Athanaſius jam inde a principio alta voce denunciat, ſe ad manus Concilii litteras non habere, factum adverſariorum ſermonibus circumferri, nolle ſe tandem obſtinate contendere. Eſt hæc igitur ejus oratio. Ἐπειδὴ δὲ, ὡς αὐτοί φασι, τὴν γὰρ ἐπιστολὴν οὐκ ἔχον ἐγὼ, οἱ τὸν Σαμοσατέα καταχρίναντες ἐπίσκοποι, γράφοντες εἰρήκασιν, μὴ εἶναι ὁμοούσιον τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ, καὶ λοιπὸν αὐτοὶ διὰ τὴν πρὸς τοὺς εἰρηκότας εὐλάβειάν τε, καὶ τιμὴν οὕτως περὶ τὴν λέξιν διάκεινται, καλὸν μετ' εὐλαβείας καὶ περὶ τούτου διασκέψασθαι. *Quoniam autem ( ut ipſi dicunt, nam epiſtola penes me non fuit ) qui Samoſatenſem damnarunt Epiſcopi, ſcripto tradidere, Filium non eſſe conſubſtantialem Patri, ac demum ipſi pietatis, honoriſque cauſſa erga viros, qui hæc dixerunt, ſic pro ea voce ſunt affecti; operæ pretium fuerit pie cum ipſis hac de re diſſerere* (a). Animum advertas velim ad verba illa Athanaſii, *ipſi dicunt, epiſtola penes me non fuit, pie cum ipſis diſſerere*, ne tanti viri auctoritate triumphum de nobis te poſſe agere arbitreris. Progreditur deinde hic noſter, & demonſtrat quo ſenſu Antiochenos Patres locutos eſſe putaverit, ſi quidem vera ſunt, quæ adverſarii de homouſio in vulgus ſparſerant; tum hæc adſcribit. *Quod ſi epi-*

*ſtolæ*,

(a) Lib. de Syn, num. 46.

*ſtolæ, quam illos ſcripſiſſe dicunt, mihi copia fuiſſet, exiſtimo, me plures deprehenſurum fuiſſe cauſſas, cur beati illi ita ſcribere coacti ſint.* Ex duobus his locis duo planiſſime colliguntur, primum eo dumtaxat tempore, quo ſe ad ſcribendum librum de Synodis contulit, aliquid Athanaſium de Antiochena homouſii proſcriptione audiviſſe, etſi jam a tot annis in hoc tuendo Religionis propugnaculo omnes induſtriæ nervos intenderet; ſecundo rei notitiam a ſolis Semiarianis, tanquam ab auctoribus, accepiſſe. Id iſthæc potiſſimum Athanaſii verba, *ut ipſi dicunt*, a multis prætermiſſa Theologis, clariſſime ob oculos ponunt. Et liberaliter quidem cum adverſariis agit Athanaſius (omni enim humanitate, & caritate illos pertractandos exiſtimat, tanquam homines, qui, ſi verbum homouſion detrahas, a reliquis Nicænæ doctrinæ capitibus non abhorrerent), non obſcuris tamen indiciis & accuratam ipſius rei conſiderationem, & meliores, certioreſque teſtes deſiderat. Quibus rebus, etiam me tacente, intelligitur, noſtrum hunc ex Semiarianorum opinione, cui ſubdiffidit, differere, ut proinde nobis potius, quam Antiocheni edicti patronis viri ſummi opituletur auctoritas. Argumento autem plus inde lucis oboritur, quod paucis antea annis, cum epiſtolam de Synodi Nicænæ decretis Athanaſius exararet, nihil adhuc de Antiocheno decreto reſciverat (§. 15.); quem ſane nodum adverſarii expedire ut poſſint, non mediocriter vereor.

XXII. Hilarius etiam fuiſſe olim homouſio aqua, & igni interdictum tunc primum audiit, cum opus de Synodis adornaret: antea, multa licet adverſus Arianos ſcripſiſſet, ejus tamen aures adhuc peregrinabantur. Illum igitur adverſariorum nomine factum mandaſſe litteris, nec unquam ex ipſa Antiochenorum Patrum epiſtola agnoviſſe, Sole ipſo clarior res eſt, & illuſtrior. Sic enim num. 81. Semiarianos alloquitur. *Epiſtolam, quam a vobis de homouſii, & de homœuſii expoſitione apud Sirmium Valens, & Urſacius, & Germinius popoſcerunt, legi ..... Et quidem de homœuſio, quod eſt ſimilis eſſentiæ, commune judicium eſt. De homouſio vero, quod eſt unius eſſentiæ, tractantes primum idcirco reſpuendum pronunciaſtis, quia per verbi hujus enuntiationem ſub-*

*ſubſtantia prior intelligeretur, quam duo inter ſe partiti eſſent. Intelligo vitium in intelligentia. .... Secundo quoque id addidiſtis, quod Patres noſtri, cum Paulus Samoſatenus hæreticus pronunciatus eſt, etiam homouſion repudiaverunt, quia per hanc unius eſſentiæ nuncupationem ſolitarium, atque unicum ſibi eſſe Patrem, & Filium prædicabat.* Hac oratione quid luculentius, per fortunas, in meam ſententiam afferri poteſt? Præterea illa ipſa, quam nominat, Semiarianorum epiſtola permotus (10) Hilarius Paulum exiſtimat, eadem, qua Sabellius, impietate teneri, cum tamen Antiochenæ Synodi litteræ, & res ipſa contrarium illi errorem attribuant (§. 18.) Homouſion igitur ab Antiocheno Senatu proſcriptum, ac repudiatum fuiſſe, a ſolis mehercule Semiarianis acceperat. Quanta hic vero erga eoſdem Semiarianos humanitate utatur Hilarius, doctis perſpicuum eſt. Declarat quidem, quid ſibi in formulis Ancyræ conſtitutis diſpliceat, temerariamque, quam tulerant in vocem homouſion, cenſuram deteſtatur, ubique tamen ſuam erga illos benevolentiam, voluntatemque patefacit, immo quid pro verbo homiuſion afferri poſſit, tacitus non diſſimulat (*a*).

XXIII. Venio ad Baſilium. Is epiſtola 52 aliquid excuſationis relictum illis opinatus, qui ſanctiones Nicænas, dempta conſubſtantialis voce, reciperent, *καὶ γαρ̀ τῷ ὄντι*, inquit, *οἱ ἐπὶ Παῦλῳ τῷ Σαμοσατεῖ σuνελθόντες διέβαλον τὴν λέξιν, ὡς ὐκ᾽ εὔσημον*, *revera, qui in Pauli Samoſatenſis cauſſa convene-*

(*a*) Vid. Maur. in Præf. hujus lib.

(10) Conſtans mea, atque perpetua erga Majores noſtros obſervantia, ac pietas faciunt, ut Hilarium hoc loco permotum malim dicere, quam deceptum. Cæterum deceptum ajunt Georgius Bullus, Maranus, & alii. Sunt autem qui Athanaſium, ut ejus editores Maurini, ſunt qui Baſilium erraviſſe opinentur. Illud perſpicuum eſt, hos Patres, in quorum ſe fidem, & clientelam adverſarii mei recipiunt, in exponenda cauſſa, cur Antiocheni Antiſtites conſubſtantialis vocem damnaverint, vehementer inter ſe diſcrepare; quod obſervetur, rogo. Videtur omnino iſtam in rem quadrare Ciceronis ſententia lib. 1. de Nat. Deor. cap. 1. *quorum opiniones cum tam variæ ſint, tamque inter ſe diſſidentes, alterum fieri profecto poteſt, ut earum nulla; alterum certe non poteſt, ut plus una vera ſit.* Unum hoc addo, ſi conſubſtantialis vox, quod merito inficior, proſcripta eſt, Paulum Samoſatenum (non hercle ipſam vocem) animadverſioni iſti cenſoriæ occaſionem ſuis ſophiſmatis præbuiſſe. Vide infra §. 23.

*venerant*, *vocem hanc quaſi male ſonantem culparunt*. Atque hoc celebre eſt Baſilii teſtimonium, unde Curcellæus, & Clericus (*a*) anſam carpendæ Nicænæ Synodi arripuerunt, quod quam vocem alterius conventus Patres damnarant ad tenebras, adoptaſſet. Mirum, quin ex Athanaſio etiam, & Hilario amplam nacti ſint occaſionem calumniæ. Nec minus tantæ confidentiæ mirus fons, qua egregium illud virorum par Nicænos in crimen vocat Antiſtites. Nam Baſilius quidem ex recepta per id temporis vulgi opinione argumentatur, quod univerſa docet epiſtola, verumtamen ita loquitur, ut neque Antiochenas legiſſe litteras, neque ipſam rem ſatis pro merito conſideraſſe videatur. *Dixerunt*, inquit, Patres, qui Antiochiam de Paulo judicaturi confluxerant, *voce conſubſtantialis notionem exhiberi ſubſtantiæ*, & *eorum*, *quæ ex ſubſtantia orta ſunt*, *ita ut diviſa ſubſtantia iis*, *in quæ dividitur*, *conſubſtantialis appellationem conciliet*. Ubi Baſilius adverſa fronte pugnat cum Athanaſio ea in Antiochenos Proceres transferens, quæ Paulo ipſe Athanaſius meritiſſimo attribuit. Nam apud hunc non Patres, ſed homo impius venerandam conſubſtantialis vocem exagitat, tali contorto ſophiſmate. Εἰ μὴ ἐξ ἀνθρώπȣ γέγονεν, ὁ Χριςὸς Θεὸς, ȣ̓κȣ̃ν ὁμοȣ́σιος ἐςι τῷ Πατρὶ, καὶ ἀνάγκη τρεῖς ȣ̓σίας εἶναι, μίαν μὲν προηγȣμένην, τὰς δὲ δύο ἐξ ἐκείνης. *Si Chriſtus non ex homine Deus factus eſt*, *ergo conſubſtantialis eſt Patri*, *atque hinc neceſſe eſt*, *tres eſſe ſubſtantias*, *unam priorem*, *duas vero ex illa procedentes* (*b*). Ne Semiariani ipſi quidem ineptam hanc de homouſii vi, & notione ſententiam Antiochenis Patribus auſi ſunt adſcribere. Nam cum apud Hilarium hanc primam rejiciendi vocabuli cauſſam, rationemque attulerunt, *quia per verbi hujus enuntiationem ſubſtantia prior intelligebatur*, *quam duo inter ſe partiti eſſent* (*c*), ſuis id verbis, non Patrum Antiochenorum nomine affirmarunt; quod tamen omiſſuros fuiſſe, non arbitror, ſi quid ejuſmodi ab eis dictum exiſtimaſſent. Quid plura? Antiochenos ne Patres putaveris, ſa-

E cram

(*a*) Loc. §. 1. citatis.
(*b*) Lib. de Syn. num. 45.
(*c*) V. §. 22.

cram vocem homouſion, tanquam *male ſonantem* (ſic enim, ut vidimus, e græco vertit Maurinus Baſilii editor), proſcripſiſſe? Nihil, meo arbitratu, excogitare poſſes abſurdius. Nam certe ſi Antiocheni ſacrorum Antiſtites homouſion damnarunt, vel obruendum ſilentio cenſuerunt, non oppido propter vocis ingenium, indolem, ac naturam, quaſi falſum, & impium quiddam ſonaret, ſed propter abuſum hominis caſtigaſſent. Numquid enim Pentapolitæ Dionyſium ſuum in judicium vocaverunt, quod male ſonante nomine non uteretur? Numquid inter hunc, Romanumque Pontificem de conſtituendo, conſecrandoque inepto vocabulo tot ſtudiis actum eſt? Numquid nec uterque Dionyſius, nec Romani Concilii Patres, nec alii antea Scriptores agnoverunt, dictio ne homouſion explicandæ divinitati Filii opportuna, ac par eſſet? Numquid Pamphilus tanta animi contentione in purgandis Origenis ſui criminibus ſibi deſudandum putavit, quod is de eodem Dei Filio diſſerens vocem demum abſonam, abſurdamque uſurpavit (Not. 3.)? Non eſt igitur, mihi crede, non eſt omnino, cur Curcellæus, & Clericus ad Baſilii auctoritatem confugiant, quo inde conflandæ in Nicænos Patres invidiæ occaſionem arripiant. Quamvis autem nihil cauſſæ eſſet (eſſe enim alioquin longe graviſſimam docui §. 19.), quamobrem in re, de qua agimus, Athanaſii, Hilarii, ejuſdemque Baſilii non acciperemus, ſi quidem nobis adverſari illos exiſtimes, teſtimonium; ex ſuperioribus tamen ſatis, ſuperque perſpicitur, egregios Antiſtites prorſus immerito, ac ſinè cauſſa opinati decreti teſtes citari, totiuſque rei ædificium non niſi ruinoſis, maleque materiatis Semiarianorum fundamentis inniti.

XXIV. Novum hinc mihi ſua ſponte naſcitur argumentum, quo perſpicue, planeque efficiam, ſine ulla me obtinendæ victoriæ fiducia ſuperiorum Patrum auctoritate ab adverſariis oppugnari. Quis enim tam Criticæ artis ignarus, imperituſque ſit, qui neſciat, hiſtoricos non aliam fidem facere, quam monumenta illa, vel fontes, ex quibus res deſcripſerunt? Livii de Romana Republica hiſtoriam univerſe veluti veram agnoſcimus, quoniam illam Livius condidit ex Annalibus maximis, ex Catonis Originibus, aliiſque id ge-

nus

nus probatis operibus, quorum perſæpe ipſe, & interdum Tullius faciunt mentionem. At pleraque veterum Romanorum miracula ab iiſdem Livio, & Tullio, a Tacito, a Valerio Maximo litteris prodita in fabulis numeramus, quoniam ex vulgi opinione, popularibuſque rumoribus deſumpta ſunt. Scilicet hiſtoricorum auctoritas ex præſtantia, ac bonitate fontium, quos conſectati fuerint, tanquam aurum ex igne, æſtimatur. Enimvero ex ſuperioribus manifeſto apparet, tres illos Patres non niſi ex Semiarianorum teſtimonio Antiocheni in homouſion decreti adeptos eſſe notitiam. Rem enim neque ex ipſis Synodi litteris (§. 21. 22. 23), neque ex noſtris (§. 9), immo ne ab Arianis quidem (§. 12. 14. 15) agnoverunt, conventiculo autem Ancyrano necdum habito, plane ignorabant; ſoli ergo Semiariani ſuperſunt, a quibus factum illud didicerint. Poteſne vero ad ſuſpectioris fidei homines in hac cauſſa appellare (§. 18)?

XXV. Quibus ergo ex fontibus, inquies, Semiariani facti ejus hauſerunt memoriam? Qua id fiducia publicis monumentis, ac litteris conſignarunt? Nam non more hominum loqui, ſed oracula potius fundere in ſua apud Hilarium epiſtola videbantur. Quæſtionem moves non neceſſariam. Nihil enim mea intereſſe debet prolixius hic explicare, ubinam gentium illi Antiochenum decretum repererint, poſtquam optimis, ut opinor, argumentis effeci (graviora etiam quamprimum afferam), totam hiſtoriam commentum, ac falſitatem olere. Cui, quæſo, non cognitæ veterum fraudes in confingendis hiſtoriis, in libris interpolandis, iiſdemque illuſtrium virorum nomini inſcribendis, quo melius opiniones ſuas tuerentur, aliorum refellerent? Pleni omnes ſunt libri, plena exemplorum volumina, quæ magno numero Vives, Fabricius, Launojus, Clericus collegerunt (11). Non potuerunt igitur Senatores illi Ancyrani edictum ad libidinem fingere, quo ſecum in damnatione homouſii tot præclaros Antiocheni cætus Antiſtites conſentire demonſtrarent? Certe ne ipſi quidem Semiariani ante inſignem illam ab Aria-



(11) Id ipſum tota docet propemodum Diſſertatio noſtra *de Græca ſacrarum litterarum editione a LXX. cognominata Interpretibus* ſuperiori anno edita, quam vide, ſi placet.

Arianis, quibuſcum communitate perdiu juncti fuerant, ſeceſſionem aliquid de Antiochena iſta cenſura reſciverant. Alioquin eam noſtris, quo commodius ſententiam ſuam defenderent, exprobraſſent. Non levis hæc, meo judicio, conficti decreti conjectura eſt, vel ſuſpicio. Quod ſi tamen nolis, Semiarianos de induſtria decretum iſtiuſmodi confinxiſſe, at certe ſimillimum vero eſt, eos incertis vulgi rumoribus deceptos fuiſſe; idque eo facilius, quo libentius unamquamque rem arripimus, & approbamus, quæ rebus noſtris uſui eſſe, atque præſidio quoquomodo videatur. Scite Cæſar in Libro 2. de Bello Gallico *quæ volumus*, ait, *& credimus libenter*, *& quæ ſentimus*, *reliquos ſentire ſperamus* (*a*). Affectus enim, quod dudum monuerunt Philoſophi, & attentionem a conſiderandis rebus avertunt, & miris modis corrumpunt judicia. Paralyſi, vel podagra laborantibus circulator aliquis, ut mos eſt, verbis confirmet ajentibus, habere ſe exquiſitum remedium, quo eos paucis horis valetudini, ſanitatique reſtituat; etſi graviſſimi homines repugnaverint, & circulatorem deriſerint, ægroti tamen valetudinis ducti ſpe nihil de remedii præſtantia dubitabunt. Avarus Plauti ſenex, qui domi ſuæ theſaurum repererat, ea ſibi ubique videre videbatur, quæ nullibi erant, de quibuſque nemo unus fuiſſet, nec ſomniando ſollicitus. Audiamus, obſecro, hominem, ut quantum in Semiarianis vis affectus ad faciendam fidem potuerit, hinc etiam luculenter perſpicias.

*Nam nunc, cum cœlo ſedulo omnes, neſciant,*
*Omnes videntur ſcire, & me benignius*
*Omnes ſalutant, quam ſalutabant prius;*
*Adeunt, conſiſtunt, copulantur dexteras,*
*Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram,*
*Me ſuſpicantur, credo, habere aurum domi* (*b*).

XXVI. Cæterum fruſtra ego in diluenda Semiarianorum fide, atque in elevanda veterum Patrum auctoritate, cui proſcripti homouſii propugnatores hactenus confiſi ſunt, tan-

(*a*) Cap. 27.
(*b*) Aulula. Act. 1. Sc. 2.

tantum temporis, & diligentiæ collocavi, ut me fere conſilii mei pœniteret, niſi orationem longiuſculam ipſa rerum utilitas, atque præſtantia compenſaret. Etenim tantum abeſt, ut in poſterioribus Antiochenis Comitiis Majores noſtri exagitatam ab adverſariis vocem proſcripſerint, ut non ſolum inultam, impunitamque dimiſerint, verum etiam perhonorifice dedicaverint, in ſacraſque publicas tabulas uno ore, & conſenſione retulerint. Publicas cum tabulas nomino ſymbolum, ut loquuntur, intelligo, quod Patres in eis Comitiis condiderunt, ubi homouſion in declarandis adverſus Paulum Samoſatenum Religionis noſtræ capitibus pluries adhibetur; quo magis mecum ab initio miratus ſum, Theologorum neminem de hoc argumento cogitaſſe. Symbolum ecce tibi græce, latineque deſcriptum.

Περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Θεοῦ λόγου, τοῦ Υἱοῦ τοῦ Πατρὸς, ὅροι τῶν ἐπισκόπων ἐν Ἀντιοχείᾳ συναχθέντων ἐν τῇ συνόδῳ. Ἔκθεσις τῆς αὐτῆς συνόδου πρὸς Παῦλον Σαμοσατέα.

Ὁμολογοῦμεν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς κατὰ πνεῦμα πρὸ αἰώνων γεννηθέντα, ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐκ παρθένου κατὰ σάρκα τεχθέντα.... Ὅλον ὁμοούσιον τῷ θεῷ καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ καθὸ σῶμα ὁμοούσιον θεῷ, ὥσπερ οὐδὲ κατὰ τὴν θεότητα ἀνθρώποις ἐστὶν ὁμοούσιος, καίτοι γε μετὰ τῆς θεότητος ὢν κατὰ σάρκα ὁμοούσιος ἡμῖν. Καὶ γὰρ ὅταν λέγωμεν αὐτὸν κατὰ πνεῦμα θεῷ ὁμοούσιον, οὐ λέγομεν κατὰ πνεῦμα ἀνθρώποις ὁμοούσιον· καὶ πάλιν ὅταν κηρύσσωμεν αὐτὸν κατὰ σάρκα ἀνθρώποις, ὁμοούσιον, οὐ κηρύσσομεν αὐτὸν κατὰ σάρκα θεῷ ὁμοούσιον. Ὥσπερ γὰρ κατὰ πνεῦμα ἡμῖν οὐκ ἐστὶν ὁμοούσιος, ἐπειδὴ θεῷ ἐστὶ κατὰ τοῦτο ὁμοούσιος, οὕτως οὐδὲ κατὰ σάρκα ἐστὶ θεῷ ὁμοούσιος, ἐπειδὴ ἡμῖν ἐστὶ κατὰ τοῦτο ὁμοούσιος.

*De Incarnatione Verbi Dei, Filii Patris, decreta Epiſcoporum Antiochiæ congregatorum in Synodo. Expoſitio ejuſdem Synodi ad Paulum Samoſatenum.*

*Confitemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ex Patre quidem ſecundum ſpiritum ante ſæcula genitum, noviſſimis vero temporibus ex Virgine ſecundum carnem natum.... Totum Deo homouſion etiam cum corpore, ſed non ſecundum corpus Deo homouſion; quemadmodum neque ſecundum divinitatem hominibus coeſſentialis eſt, eſt autem nobis ſecundum carnem homouſios etiam in divinitate exiſtens. Etenim cum*

*illum*

*illum ſecundum ſpiritum Deo conſubſtantialem dicimus, non dicimus hominibus ſecundum ſpiritum conſubſtantialem. Contra autem cum illum ſecundum carnem hominibus conſubſtantialem prædicamus, non prædicamus illum ſecundum carnem Deo conſubſtantialem. Sicut enim ſecundum ſpiritum nobis non eſt homouſios; nam ſecundum hunc Deo homouſios eſt; ita viciſſim Deo ſecundum carnem coeſſentialis non eſt; ſecundum hanc autem nobis eſt conſubſtantialis* (a). Hoc igitur ſymbolo nihil excogitari, aut fingi poteſt ad conſtabiliendam doctrinam meam illuſtrius, nec opus eſt verbis, ubi ipſa per ſe loquitur res, nullius oratione, vel eloquentia confirmata.

XXVII. Equidem diſſimulare non debeo, hanc formulam ita græce inſcriptam eſſe, ut loco verborum ἐν Ἀντιοχίᾳ, *Antiochiæ* legantur hæc alia, ἐν Νικαίᾳ, *Nicææ*; quod omnem e veſtigio argumenti pondus, ac vim labefactat. Verumtamen cum Patres Nicæni eam doctrinæ formulam Paulo Samoſateno jampridem e vivis erepto mittere, vel exhibere non poſſent, omnino crediderim, in græcam ſcripturam librariorum incuria errorem irrepſiſſe, ac pro ἐν Νικαίᾳ *Nicææ* legendum eſſe ἐν Ἀντιοχίᾳ *Antiochiæ*. Hac ratione permotus Theodorus Peltanus, omiſſa inſcriptionis parte, ſymbolum ita latine reddidit, *Symbolum a Patribus Antiochenis ad Paulum Samoſatenum* (b), illudque cum Theodoro Peltano Cæſar Baronius (c), Binius, Labbeus, Stephanus le Moyne, aliique, ut teſtatur Fabricius (d), heterodoxi Scriptores Antiochenis Patribus meritiſſimo vindicant. Librariorum errores quis neſciat? Nihil eſt enim, hac præſertim ætate, frequentioribus Criticorum uſurpatum ſermonibus. Si quis ſummi Viri Corſini noſtri Faſtos Atticos, Diſſertationes Agoniſticas, Plutarchum latine redditum, aliaque ejus & doctrinæ, & omnis eruditionis refertiſſima opera ad manus ſumat, ſexcenta illi exempla graviſſimorum errorum

ſe

(a) Apud Harduin. Tom. 1. Concil. pag. 1639. &c.
(b) In Actis Epheſ. Concil. cap. 1.
(c) Ad ann. 272.
(d) Bibliot. Græca Tom. 11. pag. 363.

ſe offerent, quibus feſtinantes, aut imperiti Librarii ſe fœdiſſime implicarunt. Error igitur formulæ, quem Librario tribuimus, nemini in re Critica vel mediocriter verſato afferre debet moleſtiam, cum præſertim levi paucarum litterarum mutatione pro græca voce *Antiochiæ*, vox *Nicææ* ſcripta eſſe affirmetur.

XXVIII. Accedunt plura argumenta, quæ me impellunt, ac permovent, ut formulam ad Paulum Samoſatenum datam Antiochenis omnino, haud ſane Nicænis Patribus adſcribendam exiſtimem. Principio enim cum in Nicæna formula arcana Trinitatis, Incarnationiſque myſteria ſatis dilucide, & concinne explicentur, cauſſæ nihil erat, cur Patres aliam præterea diſciplinæ formulam conderent. Quippe hic de iiſdem, ut tute vides, Religionis capitibus agitur, de quibus in ea, quæ certo Nicæna eſt, adverſus Arii impietatem compoſita actum eſſe intelligimus. Sed hoc argumentum, cui ego alioquin non parum tribuerim, leve fortaſſe quis dixerit. Sit ita. Velim enim perſpicias, quam veritas præfidentem me facit. Illud profecto longe, multoque gravius, quod opportune mihi Gelaſius Cyzicenus Cæſareæ in Paleſtina Antiſtes ſuppeditat. Vixit Gelaſius anno circiter 476. Etſi autem hiſtoriam de Concilii Nicæni actis, eandemque ex Dalmatio perantiquo Scriptore deſumptam (12) tri-

(12) Ut hujuſce argumenti vis, in quo magnum ego ineſſe momentum arbitror, illuſtrius adhuc appareat, juvat Gelaſii in Præfatione operis verba deſcribere. Πάντα τὰ, ait, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἐναρέτῳ, καὶ ἁγίᾳ συνόδῳ λεχθέντα τε, καὶ πραχθέντα, καὶ διατυπωθέντα πάλαι τε, καὶ πρόπαλαι ἀνέγνων, ἔτι ἐν τῇ πατρῴᾳ οἰκίᾳ διάγων εὑρηκὼς αὐτὰ ἐν βίβλῳ ἀρχαιοτάτῃ ἐγγεγραμμένα, ἐν μεμβράναις ἅπαντα ἀπαραλήπτως ἐχούσῃ, γενομένης μὲν τοῦ θείου, καὶ ἀοιδίμου Δαλματίου, τοῦ Ἀρχιεπισκόπου γενομένου τῆς ἁγίας, καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς τῶν Κυζικηνῶν λαμπρᾶς μητροπόλεως. *Omnia, quæ in præclara illa, & ſancta Synodo dicta, facta, & conſtituta fuerant, jampridem, cum adhuc in paterna domo vitam degerem, legi, cum illa inveniſſem in antiquiſſimo Libro in membranis plane integris deſcripta, qui fuit divini, & celebris Dalmatii, in illuſtri Cyzicenorum Metropoli ſanctæ, atque catholicæ Eccleſiæ Archiepiſcopi*. Ex hoc igitur Gelaſii loco tum alia multa perfacile, tum illud in primis manifeſte perſpicitur, nec ipſum Dalmatium, ex cujus fontibus hortos ſuos irrigavit Gelaſius, aliquid audiviſſe de formula, quæ adverſus Paulum Samoſatenum fertur, vel potius fingitur a Nicænis Patribus promulgata. Fuiſſet enim hæc formula factum longe illuſtrius, atque no-

Digitized by Google

tribus libris ex inſtituto collegerit, nullibi tamen doctrinæ formulam Paulo inſcriptam commemorat, non omiſſurus mehercule, ſi quid ejuſmodi Nicæni Antiſtites edidiſſent. Quod autem, me judice, admirationis plus habet, recitat ille formulam in Arii cauſſa compoſitam, tum addit hiſce litteris Arii primum, deinde Sabellii, Pauli Samoſateni, Photini errores penitus profligari (*a*), de peculiari vero formula adverſus eundem Paulum in Nicænis emiſſa Comitiis conticeſcit. O portentum! Quod enim capitale ſcelus admiſi, ut ubique in mutos, & elingues Auctores incidere debeam? Cum Dalmatio, porro, atque Gelaſio conſociari hic debent Auctor Operis: Πολιτεία τῶν ἁγίων Πατέρων ἡμῶν Μητροφάνους, καὶ Ἀλεξάνδρου, *Politia Sanctorum Patrum Metrophanis, & Alexandri*, cujus operis ſummam Photius (*b*), ut ſolet, exhibuit, & Auctor Libri, qui inſcribitur: Τὰ πραχθέντα ἐν Νικαίᾳ παρὰ τῆς Συνόδου ἐπὶ καθαιρέσει Ἀρείου, *Acta Nicææ in Synodo ſuper condemnatione Arii*; quem librum ex Codicibus Regio, & Seguieriano Franciſcus Combefiſius græce & latine in lucem emiſit (*c*). Ambo hi Auctores geſtas a Nicænis Patribus res ſcriptis illuſtrarunt, formulam tamen in Paulum ſancitam ſilentio prorſus prætereunt. Quæ cum ſint, cur tantopere miretur Valeſius, quod eam ſcripturam Cardinalis Baronius Antiochenis adjudicet Pontificibus, neſcio. Non mendoſos, ut idem Valeſius ſuſpicatur, Baronius nactus eſt Codices, ſed rationum momenta, ſed res ipſa ſatis per ſe clamat, & loquitur, ſcripturam Antiochenis Patribus acceptam referri oportere.

XXIX. Utramque enim formulam Valeſius inter ſe con-

nobilius, quam ut a ſummo Viro Dalmatio ſine commemoratione dimitti poſſet. Interim de Gelaſii opere præter Photium (Biblioth. cod. 15. 88. 89.) & Nicetas Choniates (Theſauri Lib. 5. cap. 6.), & Joannes Cypariſſiota (Decad. 3. cap. 4.) meminerunt. In manu ſcriptis quibuſdam codicibus Gelaſii nomen deſideratur; atque hinc Balforeus opus ſine auctoris nomine in lucem prodire voluit, quod tamen ex alio optimæ notæ Codice, & Photio Morellus prudenter reſtituit.

(*a*) Lib. 2. cap. 26. apud Harduin. Tom. 1. Concil.

(*b*) Biblioth. Cod. 256.

(*c*) In Actario Novo Biblioth. Patrum Part. 2.

conſerat, Nicænam nimirum, & quam ego Antiochiæ conditam veriſimillime arbitror, dicendi genus, totiuſque ſcriptionis rationem, ac vim diligenter conſideret; & ex ſtili, ordiniſque diſſimilitudine, & indole utramque ex eodem non manaſſe Concilio deprehendet. Poſt hæc animadvertat, formulam, de qua controverſamur, inter cætera Nicænorum Antiſtitum monumenta, vel ſcripta nuſpiam reperiri, neque inibi, ne in Synodica quidem epiſtola memorari, de noſtraque doctrina adhuc benignius, & incorruptius judicabit. Monumenta dixi, vel ſcripta, ideſt canones, epiſtolam Synodicam, & formulam, qua Arianus error eliditur; acta enim nominare non auſim, ne perdifficilem, idque alienis loco, & tempore, de Nicænæ Synodi actis quæſtionem ingrediar. Quid hic igitur reſpondebit Valeſius? Quo Pagius, qui Labbeum, & Binium erroris non dubitanter accuſat, confugiet? Quod ipſe enim Valeſius ad declinandam argumenti vim conjecit, ac docuit, ejus formulæ mentionem fieri Canone 19. bona cum venia viri clariſſimi dixerim, eſt deſperare victoriam. Nam quis patienter hominem ferat (abſit verbo injuria), qui hoc Enthymema confecerit: Nicæni Patres declarant, *ſi quis confugerit ad Eccleſiam Catholicam de Paulianiſtis, & Cataphrygis, rebaptizari eos omnino debere*; ergo de fidei formula adverſus Paulum ſcripta commemorant, vel, ergo doctrinæ formulam adverſus Paulum ediderunt; cum præſertim formula Pauli, non Pauliniſtarum nomen ſine controverſia præferat? Operæ pretium erat, ut Valeſius rem potius diſſimularet, aliiſque tacite judicandam relinqueret, quam ut argumento ejuſmodi ad labantem fulciendam ſententiam uteretur.

XXX. Sed perorabit aliquando tandem pro me Conſtantinopolitani Cleri Conteſtatio publice propoſita, quæ in Actis extat Epheſini Concilii tum apud alios, tum apud Harduinum (*a*). Noſtis, auctorem illa habet Euſebium, a quo florentiſſimæ Eccleſiæ nomine ſcripta eſt. Hic igitur Antiocheni Concilii formula appellatur ad Paulum data ante annos 160, nempe, ut ex inito calculo apparet, anno 270, quo habita poſteriora Comitia ſunt, affirmaturque præterea, inibi

 no-

(*a*) Tom. 1. Concil. pag. 1271. &c.

nomen homouſion reperiri. Heus tu Conteſtationem celeriter recita. *Conteſtatio &c. Conjuro accipientem hanc chartam per ſanctiſſimam Trinitatem, ut eam palam faciat Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis . . . . . inſuper etiam exemplar eis præbeat ad increpationem hæretici Neſtorii, quia ſimilia ſapit anathematizato Paulo Samoſateno ante annos* 160 *ab orthodoxis Epiſcopis. Sunt autem quæ ab utroque dicta ſunt hæc* . . . . . Accurate deinde ab Euſebio Pauli, & Neſtorii errores inter ſe conferuntur, *& ecce*, pergit idem, *Neſtorius conſentit hæretico Paulo dicenti, alium eſſe Verbum, & alium Jeſum Chriſtum, & non eſſe unum, ſicuti recta prædicat fides*. Statimque, nullis interjectis verbis, Antiochenæ formulæ doctrina producitur. Διὰ τοῦτο ἐσημειωσάμην σοι, ὦ ζητητὰ τῆς ἁγίας πίστεος, καὶ μέρος τοῦ μαθήματος τῆς ἐκκλησίας Ἀντιοχέων, ἐξ ἧς καὶ τὴν τῶν Χριστιανῶν ἐπίκλησιν ἐν πρώτοις ἔχομεν, ὅτι οὐκ οἶδεν ἄλλον, καὶ ἄλλον θεοῦ υἱόν, ἀλλ' ἕνα τὸν πρὸ πάντων αἰώνων γεννηθέντα, θεὸν ἐκ θεοῦ ἀπὸ τοῦ Πατρὸς, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, καὶ τὸν αὐτὸν ἐπὶ Αὐγούστου Καίσαρος ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου τεχθέντα· ἔχει γὰρ ῥητῶς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, δι' οὗ καὶ οἱ αἰῶνες κατηρτίσθησαν, καὶ τὰ πάντα ἐγένετο . . . . . . . . . . . καὶ τὰ ἑξῆς τοῦ συμβόλου. *Propterea deſignavi tibi, o zelota ſanctæ fidei, & partem mathematis* (13) *Eccleſiæ Antiochenæ, ex qua etiam Chriſtianorum vocabulum in primis habuimus: quia non novit alium, & alium Filium Dei, ſed unum, qui ante omnia ſæcula natus eſt, Deum ex Deo Patre, conſubſtantialem Patri, & eundem ſub Auguſto Cæſare ex Maria Virgine natum. Habet enim expreſſim, Deum verum ex Deo vero, conſubſtantialem Patri, per quem & ſæcula creata ſunt, & omnia facta* . . . . . *& reliqua ſymboli*. Poſt hæc, etſi res, ut opinor, argumento, & approbatione non egeat, quo tamen

bono

(13) Mathematis, ideſt ſymboli, doctrinæ &c. ut rectiſſime codex Colbertinus. Reliqua enim exemplaria, & editio Contii mendoſe prorſus, ac falſo *anathematis* præ ſe gerunt. Qui *anathematis* ſcribunt, errorem ſuum ex conſequentibus Conteſtationis verbis, καὶ τὰ ἑξῆς τοῦ συμβόλου, *& reliqua ſymboli*, agnoſcere debuiſſent. Nihil tamen in antiquis libris frequentius, magiſque uſitatum, quam ut hæc nomina *mathematis*, & *anathematis* temere commutentur. Sed legantur, quæ ſuper hoc argumento egregie ſcripſit vir doctus Henricus Valeſius Not. ad Lib. 1. cap. 8. hiſt. Eccleſ. Socr.

bono in lumine collocetur, ſic diſputo. Conteſtationis Auctori duo demonſtrare propoſitum eſt, 1. Neſtorii doctrinam cum doctrina Pauli, quem ante annos 160 ab Antiochenis Patribus exauctoratum affirmat, plane congruere. 2. atque hinc Neſtorium a recta fide, vel Religione aberraſſe. Prius, collatis utriuſque ſententiis, ante oculos ponit; poſterius autem hoc ut efficiat Antiochenum ſymbolum citat, in quo adverſus Paulum & diſerte traditur, Dei Filium unicum eſſe, non duplicem, & nomen homouſion adhibetur. Antiocheni igitur Senatus Patres, cum Paulum e Pontificia dignitate exturbarunt, ſymbolum edidere, cui vox homouſion adjecta eſt. Quod vero ſymbolum anno demum 270 conditum fuerit non ſolum hinc, attentionem ſi afferas, & ex ipſa Conteſtationis ſerie deprehendes, ſed clarius etiam hoc argumento perſpicies. Ut enim libelli Auctor oſtendat, *rectam fidem prædicare*, eſſe unum Dei Filium, ſymbolum e veſtigio Antiochenum producit, ubi & de unico Dei Filio agitur, & homouſii vocabulum uſurpatur; quo ergo tempore Paulus exauctoratus eſt, ſymbolum Antiocheni Antiſtites ediderunt; alioquin a vero abluderet, quod recta fides, Antiochenum nempe ſymbolum (ut ex proximis Conteſtationis verbis apparet), & doceret, Filium Dei eſſe unicum, & homouſio uteretur. Reſponderi enim facile poterat, vocem homouſion damnatam fuiſſe, perpetuoque obliteratam ſilentio.

XXXI. Hæc igitur non ſolum demonſtrant, ſymbolum, ſive formulam, de qua ſuperius diſſerebam, non Nicænis Patribus, ſed Antiochenis adſcribi oportere, verum etiam omnem iis aditum intercludunt, qui formulam ad priora Antiochena Comitia referendam eſſe ſtatuerent. Etſi enim hi argumenti vim non effugerent, nec diluerent (argumentum enim in adverſarios alia ratione, & via concluderem), tota tamen res animadvertatur, pervelim, quo de Stephani le Moyne Theologi Leydenſis ſententia probe feratur judicium. Moynius enim eam ſyngrapham Antiochenis Pontificibus nobiſcum adjudicat; homouſion tamen notatum, ejuſque uſum interdictum pronunciat: in quo quemadmodum ſibi conſtet, ſatis exputare non poſſum; niſi fortaſſe ſchedulam a prioris Concilii Patribus profectam exiſtimet. Idcirco argumentum

 de-

dedita opera occupavi. Ad hæc cum Pauli Samoſateni errores (homo quippe erat verſutus, veterator, mireque ad fallendum compoſitus) in ſecundo demum Concilio optimus Sacerdos, peracutuſque Dialecticus Malchion detexerit, in lucemque veritatis protulerit, tunc etiam credibile eſt, formulam exaratam fuiſſe, in qua Paulinæ impietatis capita confutarentur (14); quemadmodum, concedente quoque Valeſio, ejuſdem, non prioris Concilii Patres ad Paulum miſerunt epiſtolam, in qua ſuam ipſi de Chriſti natura, ac numine mentem aperiunt, & a nebulone, ſecum ne concordet, ac ſentiat, percunctantur.

XXXII. Duobus Albertus Fabricius, Samuel Baſnagius, aliique conantur efficere, formulam, ſive ſchedulam Pauli notatam nomine ab Antiochenis Patribus editam non fuiſſe. Qui tamen ſi ſuperiora noſtra argumenta providere animo potuiſſent, fortaſſe de duabus illis rationibus ne cogitaſſent quidem. Primum ajunt, neque Athanaſium, neque Hilarium, neque Baſilium de homouſii vocabulo differentes formulæ ejuſmodi mentionem feciſſe; deinde Antiochenos Proceres ab eodem uſurpando nomine ob captioſas cavillatoris Pauli argutias abſtinendum prudenter duxiſſe; utrumque optimo certe indicio, controverſam hanc ſyngrapham Nicææ tandem, non Antiochiæ in lucem manaſſe. Verum hoc me loco tenere nequeo, quin palam, candideque profitear, nihil unquam minus acute concludi potuiſſe. Nam prior illa ratiuncula tota contra eſt. Prodiit ſyngrapha, inquis, vel ſymbolum in Nicænis Comitiis. Concedatur tantiſper, donec ad ſilentii cauſſas inveſtigandas, atque aperiendas progredior. Quonam igitur fato fieri potuiſſe dixeris, ut triumviri illi, quorum Athanaſius Comitiis interfuerat, nunquam in noſtræ formulæ mentionem inciderint? Nunquam inciderit Euſebius, nunquam Theodoretus, nunquam Socrates, nun-

(14) Formulam, de qua loquimur, poſterioris Concilii Patribus mecum acceptam ſine controverſia referunt Baronius, & Labbeus. Quid Peltanus, quid Binius, quid reliqui ſenſerint, exploratum non habeo. Nihilominus facile mihi perſuaſerim, in eandem illos, quam ego tueor, convenire ſententiam, ne duorum Conciliorum Antiſtites pugnare inter ſe cum dedecore videantur; ut allatam a me in hoc §. 31. rationem omittam, quæ facile viris clariſſimis poterat in mentem incidere.

Digitized by Google

nunquam Epiphanius, nunquam Epheſini cœtus Antiſtites? Atqui horum ſinguli Nicænam, ſi neſcis, in Arium formulam protulerunt. Ac certe in hac, quam tueris, ſententia longe facilius, quam in mea tam præclari monumenti conſervari apud Auctores, qui Nicæna tempora conſecuti ſunt, notitia debuiſſet. Denique ſimillimum vero videtur, quod inter alia Nicænorum Pontificum ſcripta, ideſt una cum canonibus, Synodicis litteris, & formula adverſus Arium conſtituta ſcheda hæc tranſmiſſa fuiſſet ad poſteros. Unde igitur, quantum me amas, ſummum tot doctiſſimorum Scriptorum ſilentium? Præterea cur antiquus ſane Auctor Dalmatius, Gelaſius Cyzicenus, alii, qui Nicænorum Comitiorum hiſtoriam de induſtria ſcripto mandarunt, de ſyngrapha tamen adverſus Pauli impietatem compoſita nihil commemorant? Facilius enim ex manu Herculis clavam, quam ex his Auctoribus de controverſa illa formula verbum expreſſeris (§.28.) At leges hiſtoriæ, reique celebritas omnino poſtulabant, ne ejus ſchedulæ notitiam nobis eriperent, ſi quidem a Nicænis Patribus fuiſſe editam cognoviſſent. Pudere igitur adverſarios debuit ad Athanaſii, Hilarii, Baſiliique ſilentium meam labefactaturos ſententiam, optimis alioquin ſtabilitam præſidiis, tanquam ad arcem confugere.

XXXIII. Ergo ſi tam præclari triumviri de formula, quam Antiochiæ exiiſſe pluribus docui verba non fecere, transferenda in Arianos, vel certe in Euſebium culpa eſt, qui ut ne Arianis, amorculis ſuis, noceret, ſchedulam conſulto ſubduxit, compreſſit, occultavit, ut ſcitiſſime argumentatur dignitate, ac ſapientia vere Eminentiſſimus Cardinalis Baronius. Neque hæc mirabilia videri debent, quando ex ſuperioribus firmum, ut arbitror, ratumque eſt, ſchedæ Auctores Antiochenos eſſe Pontifices. Nimis aperte illa formula loquebatur, Arianamque perfidiam jugulabat, quam ut id facere impune poſſet, atque Euſebii erga ſe furorem, violentaſque manus effugere. Num fraudium Euſebianarum exempla quæris? Vide, quæſo, ne tu noctuas Athenis. Sed ne longius provehatur oratio, crimine ab uno, vel altero diſce omnes. Narrat in hiſtoria Euſebius, Dionyſium Alexandrinum a Pentapolitis de crimine neſcio quo apud Roma-

ma-

manum Pontificem poſtulatum fuiſſe, quatuor ſe vero Libris diligenter purgaſſe. Ne Euſebio tamen fortaſſis nimiæ in ſcribendo loquacitatis actionem intenderes, quaſi brevitatis veluti lineas tranſiviſſet, manum ecce ſubducit de tabula, finemque facit. Serio; quia tota controverſia, origo ſcilicet, progreſſio, exitus evidenter demonſtrabat, Arianam diſciplinam longo ante tempore impietatis convictam, ac damnatam fuiſſe, ſummis rem labiis attingit, in quo autem controverſiæ poſitus cardo eſſet, diſſimulat. Quid vero ſuſpectum magis, & a ſincera, non dicam Epiſcopi, ſed Chriſtiani hominis fide magis alienum, ac diſſitum, quam modus, quo Nicænorum Comitiorum hiſtoriam cap. 5. lib. 3. de Vita Conſtantini litterarum monumentis idem Euſebius conſignavit? Nam cum duobus præſertim nominibus convocata Comitia ſint, primum ad divini Filii conſubſtantialitatem cum Patre adverſus nefarios Arii conatus in tuto collocandam; tum ad variarum Provinciarum diſſidia ſuper die celebrandi Paſchatis componenda, Euſebius de priori controverſia ne verbum quidem, nec ſyllabam, etſi hinc ampla ſe illi laudandi Conſtantini Magni offerret occaſio; de controverſia tantum, quæ Paſchatis celebrationem ſpectabat, diligenter narrat. Hæc igitur Euſebii fides, hoc ingenium. Eat nunc Samuel Baſnagius, & leviſſima conjectura permotus Cæſarem Baronium Plautino ſale perfricet, quaſi dure, atque inhumaniter fecerit, qui formulam, ſive ſymbolum ab Euſebio fraudulenter ſubductum eſſe affirmarit (15).

XXXIV. Ipſe potius Baſnagius, cujus eſt alterum, quod proxime ſequitur, argumentum, Plautinis omnibus ſalibus perfricandus videretur, niſi ego moderate cum omnibus agendum ratus ab omni illiberali, & ſcurrili dicendi genere merito abhorrerem. Baſnagius enim ſuperiori argumento illo ſuo petit manifeſte principium, ſumitque pro certo, quod

(15) Samuelis Baſnagii (*Annal. Eccleſ. Polit. ad ann.* 269.) conjectura copioſe jam a nobis, ac perſpicue refutata ei nititur fundamento, quod formula Pauli nomen præferens ſecundum græcam inſcriptionem Nicænis, non Antiochenis Patribus tribuenda videatur. Sed ignoſcendum ex ea fortaſſe parte Baſnagio, quod aliis occupationibus diſtentus intimos quæſtionis hujus receſſus non adiit, neque rem ad vivum reſecavit, id, quod illi cum Alberto Fabricio commune eſt.

Digitized by Google

quod dubium, controverſumque eſt, immo falſum, ut hactenus docui, vocem ſcilicet homouſion inviſam Antiochenis fuiſſe Patribus, & odioſam. Itaque imprudens (fortaſſe enim ne ſuſpicatus quidem eſt, fore aliquos, qui a veteri de Antiocheno decreto abituri eſſent ſententia), imprudens igitur eadem ſe fallacia irretivit, qua olim in philoſophica quæſtione magnus alioquin vir Ariſtoteles, qui oſtenſurus, Tellurem noſtram in medio Mundi conſtitutam eſſe, ajebat, gravia quæcumque corpora ſuopte nutu, ac pondere ferri ad centrum Mundi, ſimulque ad centrum Terræ, quare hanc in media Mundi parte, ſeu centro conſiſtere. Ubi Ariſtoteles id arripit pro conceſſo, & probato, quod plane in quæſtione verſatur. Baſnagii ergo argumentum verbis Cottæ Q. Lucilium Balbum apud Tullium alloquentis breviſſime dirimam. *Videre oportet, Balbe, quid tibi concedatur, non teipſum, quod velis, ſumere* (a).

XXXV. Atque hactenus, ut demonſtrarem, Antiochenos Patres verbum homouſion aſciviſſe potius, quam reprobaſſe, tum aliis argumentis, tum nominatim celeberrimæ Conteſtationis verbis multus probavi, formulam, quæ præ ſe Pauli Samoſateni nomen gerit, & in qua homouſion perhonorifice uſurpatur, eiſdem Patribus eſſe adſcribendam. Nunc autem, ne quis fortaſſe adverſariis effugiendi hinc aditus pateat, ipſa per ſe Conteſtatio expendenda eſt. Etſi enim aliquis, ut varia hominum eſſe ſolent ingenia, inficiaretur, in Conteſtatione Euſebii ſuperiorem illam ad Paulum formulam, ſive ſchedam citari, firmum tamen ego inde argumentum arripiam, quo clariſſime ob oculos ponam, in Antiochena Synodo homouſion damnatum nullo pacto fuiſſe, neque ejus uſum ademptum. Sed ipſa antea libelli verba, ut hic rurſus exſcribam, æquo ferat animo amicus Lector. *Neſtorius*, ait Euſebius, *ecce conſentit hæretico Paulo dicenti, alium eſſe Verbum, & alium Jeſum Chriſtum, & non eſſe unum, ſicuti recta prædicat fides. Propterea deſignavi tibi, o Zelota ſanctæ Fidei, & partem mathematis Eccleſiæ Antiochenæ, ex qua etiam Chriſtianorum vocabulum in primis habuimus; quia non novit alium, & alium Filium Dei, ſed unum,*

(a) Lib. 3. de Nat. Deor. cap. 9.

*unum*, *Deum ex Deo Patre*, *conſubſtantialem Patri*. *Habet enim expreſſim*, *Deum verum ex Deo vero*, *conſubſtantialem Patri*, *& reliqua ſymboli*. His deſcriptis, illud ſaltem concedas neceſſe eſt, in Antiochena Eccleſia etiam poſt Pauli amotionem e gradu ſacram diſciplinæ noſtræ formulam extitiſſe, cujus exemplaria, non ipſa ſolum, cubitalibus litteris verbum homouſion præ ſe ferrent, atque id ratum, firmumque Conſtantinopolitanam Eccleſiam habuiſſe. Hujus enim formulæ auctoritatem, & fidem in ſua illa publice propoſita Conteſtatione implorat Euſebius. Quod ſi in ſacra Antiochenæ Eccleſiæ formula publicis uſibus deſtinata, ſi in ejus exemplaribus dictio homouſion legebatur, quomodo hanc Antiocheni Antiſtites ſuis ſuffragiis condemnarunt? Dic, quæſo, fortaſſe ne Euſebius Antiochenæ formulæ nomine Nicænam intelligit? At, ut mittam alia, quæ Lectori Euſebii conſilium, totamque Conteſtationis ſeriem expendenti facile animo occurrent, vel duo illa verba, *Antiochenæ Eccleſiæ* (extant enim græcè, & latine in omnibus libris, manuque ſcriptis codicibus), nullum ſuſpicioni ejuſmodi locum relinquunt (16).

Quid

(16) Vaticana, aliæque paſſim, ut monuit ſummus Vir Chriſtianus Lupus, Conciliorum Generalium editiones Euſebianam, de qua agimus, ſchedulam ſic inſcribunt. *Conteſtatio publice propoſita a Clericis Conſtantinopolitanis, & in conſpectu Eccleſiæ publicata, quod Neſtorius ejuſdem ſit ſententiæ cum Paulo Samoſateno ante 160 annos ab orthodoxis Epiſcopis anathemate condemnato*; & quamvis verbis aliquibus differant, rerum tamen, atque ſententiarum ſumma eſt, ac mira conſenſio. Eadem inſcribendæ ſchedulæ ratio recentioribus permultis Criticis, atque Theologis, quorum adnumerare nomina moleſtum, ac longum eſſet, probatur. Quæ cauſſa fuit, cur ſuperius §. 30. Conteſtationem ejuſmodi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ nomine ab Euſebio editam ſcripſerim; hic vero ei affines, vel conſentaneas dicendi formulas, cum de Conteſtationis vi, & auctoritate loquor, adhibeam.

Non crediderim fore aliquos, qui ut argumentum noſtrum evertant, Conteſtationem hanc genuinam, ſinceramque eſſe repugnent. Facile enim opinionis ejus levitatem refellerem. Siquidem Conteſtatio totidem plane verbis, quibus illam libri omnes in publicam lucem editi exhibent, legitur in perantiquo, probatiſſimoque Codice Caſſinenſi, quo uſus eſt Chriſtianus Lupus in Opere inſcripto, *Ad Epheſinum Concilium variorum Patrum epiſtolæ &c.* (Vid. Tom. 7. edition. Ven. anni 1726. Schol. cap. 5. pag. m. 25.) Qui Codex cum ex Acœmetarum prope Conſtantinopolim Cœnobio abſportatus fuerit,

Quid ergo? Num Antiocheni Proceres etſi damnaverint, vocem tamen de publicis tabulis non ſuſtulerunt? Sunt hæc inter ſe æque contraria, & repugnantia, ac circulus, ut Geometræ loquí ſolent, quadratus. Præterea quomodo

G recta

rit, in magna eſt auctoritate. Noſti enim Accemetarum ingenium. Accedunt locupletiſſima veterum teſtimonia, qui de Euſebio ſingulari cum laude ſermonem inſtituunt. Nam Leontius Byzantinus, qui, docente apud Bellarminum Labbeo (De Script. Eccleſ. pag. 204.), extremis Juſtini junioris, Tiberiique temporibus fortaſſe floruit, ac tres Libros adverſus Eutychianos, & Neſtorianos compoſuit lib. 3. cap. 95. hæc ſcribit. *Propoſita eſt utriuſque refutatio, Pauli ſcilicet Samoſatenſis, & Neſtorii ex teſtimonio publice propoſito, ut ajunt, ab Euſebio, qui tunc florebat in judicandi poteſtate, poſtea autem præfectus fuit Eccleſiæ Doryleenſium in Phrygia, qui divino zelo, ut teſtantur, incenſus hæreſim Neſtorii, & Eutychis deprehendit, & convicit. Infinitis periculis pro pietate objectus. Audi igitur cum quibus, & cujuſmodi blaſphemiis ex Paulo Samoſateno collectis Neſtorii blaſphemias conjunxit, & unam utriuſque mentem amentiſſimam eſſe demonſtravit.* Poſt quæ Leontius Euſebii Conteſtationem deſcribit. Qua vero occaſione, quibuſque cauſſis tantus pro Religione in Euſebio ardor extiterit, habes ex Mario Mercatore in Schol. ad 3. Neſtorii ſermonem, ubi *cum Neſtorius*, ait, *in media Eccleſia profanis uteretur vocum novitatibus, quibus & Θεότοκον, & geminam Chriſti nativitatem inſectabatur, Vir quidam ſane probus, qui adhuc inter Laicos erat, ſed tamen admirabilem ſibi collegerat eruditionem ferventi, & religioſo zelo permotus, & contentiori voce inclamans inquit, ipſum ante ſæcula Verbum etiam ſecundam ſubiiſſe generationem, ideſt illam ſecundum carnem, & ex muliere.* Marii verba, *qui adhuc inter Laicos erat*, confirmant, quod ait Leontius, Euſebium poſtea in Sacerdotum ordinem nomen dediſſe; tota vero, quam affert, Conteſtationis ſeries a communi reliquorum librorum ſcriptura non diſcrepat. Ejuſdem in patriam Religionem ſtudium ſummis extulit laudibus Flavianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus Eutychetis legatos in prima abs ſe habita Synodo ita allocutus. *Cognoſcitis zelum accuſatoris; quoniam & ipſe ignis frigidus illi videtur propter pietatis zelum.* Cum Flavianoque Eutychianiſtarum Breviculus a Sirmondo poſt appendicem Theodoſiani Codicis editus concinit in hæc verba. *Cum Eutychem Euſebius Dorylitanus Epiſcopus ſuadere alia reperiſſet, zelo fidei, quem etiam cum Agens in rebus eſſet oſtendit (ipſe enim Neſtorium quoque in tempore reprehendit in Eccleſia res ſacrilegas prædicantem), detulit ad Flavianum Epiſcopum.* Et infra: *Euſebius ante, dum adhuc eſſet Laicus, Neſtorii fuerat accuſator.* Ergo Euſebius magna voce, boniſque lateribus concionanti Neſtorio fortiter reſtitit, eundemque erroris coram multitudine, Sacerdotumque ordine publice reprehendit, neque hoc contentus Conteſtationem, vel ſchedam hanc Regiæ civitati propoſuit. Eſſe igitur genuinam, germanamque Euſebii ſcriptionem dubitari non poteſt.

Cæterum Euſebii ſchedula in Caſſinenſi codice ita inſcripta eſt. *Conteſtatio propoſita in publico contra Clericos Conſtantinopolitanos, & in Eccleſia inſinuata, quia ſectator eſſet Neſtorius Pauli Samoſateni anathematizati ante annos*

120

recta fides, nempe Antiochenæ Eccleſiæ formula doceret, Dei Filium eſſe Patri conſubſtantialem, hoc eſt, quomodo Antiochena formula conſubſtantialis vocabulum præ ſe recte ferret, ſi vocabulum, quod inibi legebatur, auctoritate publica

120 *ab Epiſcopis Orthodoxis*. Ab hujus codicis auctoritate non diſcedit Chriſtianus Lupus ( ibid. ), eamque inſcriptionem Philippus Labbeus ( Tom. 4. Concil. pag. 17. 18. ), & alii, mutato annorum numero, Conteſtationi præponunt. Facile tamen, etiam me tacente, perſpicies, ex hac inſcribendæ formulæ ratione aliquid potius ponderis, ac momenti argumentationi noſtræ accedere, tantum abeſt, ut ejus vis, atque auctoritas infirmetur. Præterea etſi ſchedula adverſus Conſtantinopolitanos Clericos ſcripta eſſe concedatur, non tamen contra omnes promulgata eſt. Nec ipſe Lupus repugnat. Nam permulti Neſtorianam perfidiam adeo inſectati ſunt, ut a Neſtorio amoveri e gradu, exilioque mulctari maluerint, quam impias aberrantis a via hominis approbare ſententias. In opinione ergo Lupi Conteſtatio in ſolos delirantis Epiſcopi ſectatores, ac vindices prodiit, neque id ſane ſine hujus Eccleſiæ ſæmpiterna ignominia. Quid enim magis infamiæ, ac dedecoris plenum, quam ipſum ſacrorum Antiſtitem, Sacerdotumque ordinem tam longe a religione, ſanctiſſimiſque ejus decretis per contumaciam deflexiſſe, ut ab homine in primis Laico de officio debeant, totiuſque doctrinæ ſumma admoneri?

Quod ad annos pertinet, qui in ſchedulæ inſcriptione apponuntur, Caſſinenſis codex ſine dubio eſt mendoſus, & peccat. Antiochena enim Synodus, quæ Paulo impietatis convicto dignitatem ademit, abſoluta, ut diximus, fuit anno 270; Neſtorius autem, quem anno 431. Epheſini Patres damnarunt, tres circiter, vel quatuor annos errores ſuos in vulgus diſſeminavit, quin ullis unquam vel minis, vel precibus reſipire, redireque ad ſanitatem voluerit, ut in Apologet. ad Imperatorem Theodoſium ſtatim poſt Epheſina Comitia ſcripto teſtificatur Cyrillus. Quare cum Conteſtationem Euſebius divulgavit, omnino 160 anni a lata in Paulum Samoſatenum ſententia effluxerant. Vulgaris igitur ejus ſchedulæ editio rectiſſime præfert 160, mendumque, vel error in codicem Caſſinenſem irrepſit. Nec ſolum mendoſus eſt codex, verum etiam peccat, qui codicem emendavit. Librarius enim ſcripſerat annos *oct.* veriſimiliterque deſignare in animo habuit annos 80; neſcio quis autem Lector merito ſuſpicatus, eſſe rem alienam a vero appoſuit 120; quo factum eſt, ut errorem errore correxerit. Adeo *cujuſvis eſt hominis errare*, quamquam *nullius*, *niſi inſipientis*, quod ait præclare Cicero (Philip. 12. cap. 2.), *perſeverare in errore*. Vidit hæc eruditiſſimus, perdoctuſque Theologus Lupus, ſed neſcio, ſummus ne Vir ( ego enim tantum alioquin ei laudis do, quantum alteri cuiquam vel clariſſimorum virorum poſt renatas litteras in rebus Theologicis dandum unquam cenſuerim ſive operum magnitudinem, ac difficultatem, ſive hominis diligentiam, fidem, eruditionem, judicium attendas ), neſcio igitur, ſummus ne vir ipſe quoque errore aliquo teneatur. Etſi enim poſteriorem Antiochenam Synodum anno 270 habitam doceat, Conteſtationem tamen Euſebii anno aſſignat 428 ( loc. cit. ); quod tamen fieri nullo pacto poteſt, cum ab anno 270 ad 428 anni tantum 159 intercedant, quamvis utrumque extremum enumeres. Quapropter id unum reli-

blica notatum eſt, rejectum, interdictum? Quomodo Euſebius, immo Conſtantinopolitana Eccleſia ad profligandos Neſtorii errores formulam profert, quæ diſerte habet *Deum verum, conſubſtantialem Patri*, ſi conſubſtantiale in Antioche-



reliquum eſt, ut Conteſtatio Euſebii ad annum 429, vel etiam 430 referatur. Tandem cum optimis aliunde liqueat argumentis, Antiochenam Synodum, in qua Paulus Pontificia privatus eſt dignitate, vere anno 270 habitam, vel abſolutam fuiſſe, ſequitur, poſtremo denique loco illos errare, qui Euſebianæ ſchedulæ inſcriptione adducti eam Synodum in annum 268. conjiciunt.

Quoniam hic vero in Chriſtiani Lupi mentionem incidimus, miſſa ſchedula, placet appendicis quaſi loco ſubjicere, ex Lupi ipſius doctrina noſtram de Antiocheno interdicto ſententiam egregie firmari, nedum illuſtrari. Is Diſſertat. poſthuma *De vocibus ſubſtantia, eſſentia, perſona &c.* cap. 5. docet, vel potius ſuſpicatur, latam ab Antiochenis Epiſcopis in dictionem homouſion legem pluribus, qui eodem vixere ſæculo, Patribus improbatam fuiſſe. Cum enim, inquit, Pentapolitæ Dionyſium ſuum, quod Dei Filium Patri conſubſtantialem non diceret, in judicium apud Romanum Pontificem vocaviſſent, reſque inter utrumque recenter geſtas probe cognitas, atque exploratas haberent, non potuere Antiochenam deinde homouſii proſcriptionem non moleſte ferre, atque improbare. Ait ſecundo, Athanaſium ex Romana Dionyſii Pontificis Synodo recte oſtendere, cenſuram illam veteribus Patribus minime placuiſſe. Tertio inter poſterioris Antiocheni conventus Antiſtites fuiſſe plures Dionyſio Alexandrino impenſe addictos & deditos, quippe qui illum ad priora Comitia acciverant; atque hinc proclivius ad condemnandum conſubſtantialis vocabulum cucurriſſe, ignaros fortaſſe & invidiæ, quam Dionyſius propter Pentapolitarum querelas ſubierat, & palinodiæ juſſu Romani Pontificis ab eodem non multo poſt recantatæ.

Tria hæc autem lucem, robur, ac vim argumentis noſtris opportuniſſime adjiciunt. Oſtendimus enim, Antiochenum decretum, quod in homouſion editum traditur, cum celebri utriuſque Dionyſii facto mire pugnare (§. 6.), &, ſi quidem manaſſet in lucem, neque ignorari a noſtris, neque prætermitti ſilentio, neque tandem ſine turbis, tumultibus, atque diſcordiis excipi potuiſſe, cum præſertim de Romani Pontificis auctoritate ageretur (§. 11.). Utrumque ex ſuperioribus Lupus veluti verum, ac certum agnoſcit; ſua ipſe ergo doctrina productas a me rationes confirmat, atque corroborat. Quod enim Pentapolitæ, aliique e veteribus Antiochenorum Patrum edictum reipſa improbaverint, id vir clariſſimus ſuſpicatur quidem ob ſemel a ſe ſuſceptam, conſtitutamque ſententiam de proſcripto homouſio; nunquam tamen oſtendere poterit, tantum abeſt, ut oſtenderit. Ab Athanaſio nihil ſperare poteſt præſidii. Sive enim Librum de Dionyſii ſententia, ſive Epiſtolam de Synodi Nicænæ decretis, ſive denique Librum de Synodis Arimini, & Seleuciæ perlegas, nuſquam invenies, dictum excidiſſe Athanaſio, quod veteribus Patribus Antiochena homouſii proſcriptio, damnatioque diſplicuit. Ego certe nihil tale olfacere potui, etſi magnopere eam in rem incubuerim. Similitudinem porro, ſpeciemque veri non habet, Antiochenos Antiſtites de graviſſima controverſia, quæ in luce, ac celebritate totius

chenis Comitiis adverſus Paulum habitis repudiatum eſt, ac proſcriptum? Componant hæc Semiariani, ſi quidem poſſunt, & poſtea tanquam ex tripode nobis alta voce denuncient, Antiochenos Patres in homouſion dixiſſe ſententiam, uſumque nominis de medio abſtuliſſe. *Gerræ germanæ, atque ædepol liræ liræ ſunt* (*a*), quidquid illi in Ancyrano conventiculo ea ſuper re tradiderunt. Tandem, ut hoc addam, nemo prudens facile ſuſpicabitur, Patres in Antiochenis Comitiis congregatos & ſapientia, & ſanctimoniæ laude ornatiſſimos de ea proſcribenda voce cogitaſſe, quæ, antequam Paulus redigeretur in ordinem, in veneranda Antiochenæ Eccleſiæ formula, atque hac in uſus conſtituta publicos, legebatur. Quis enim in illis prudentiam, quis majorem erga veteres pietatem, vel obſervantiam, quis denique tranquillitatis, paciſque publicæ ſtudium merito non deſideraſſet? Credant igitur Semiarianis qui volunt; ego, ut in illorum auctoritate acquieſcam, ab animo meo, auguror, impetrare non potero.

XXXVI. Nqn ſunt hic autem prætereundi ſilentio Patres, qui inter Antiochenæ, & Nicænæ Synodi tempora litterarum gloria, editiſque operibus floruerunt, ne quæ Diſſertationi noſtræ deeſſe ad ſtabilitatem præſidia videantur. Nam ſi Antiochenorum Patrum Concilium nomen homouſion lege publica condemnaſſet, a communique Eccleſiæ uſu, & conſuetudine ad retundendam Pauli perfidiam abſtraxiſſet, ei ſane interdicto Majores noſtri, & qui præſertim habiti ſancti ſunt, morem, ut ſolet, obedienter geſſiſſent. Nunc autem totum contra eſt. Etenim Pamphilus, nobiliſſimus Chriſti Miles, qui anno circiter 308, (*b*) cum Gale-

tius Eccleſiæ inter utrumque Dionyſium inſtituta eſt, nihil audiviſſe, ut docui §. 6. Quod ſi plures, teſte nobiliſſimo Lupo, cognoverant, quod antea Dionyſius Alexandrinus a voce homouſion abhorrebat, vel ea ſaltem non utebatur, quomodo omnes factum longe celebratiſſimum ignorarunt, neſcieruntque, Dionyſium paullo poſt palinodiam ceciniſſe? Hæc cum ita ſe habeant, relinquitur, noſtra, quæ dixi, argumenta optimis fulta eſſe principiis, magnamque eiſdem ex Lupi ipſius doctrina, quod mihi plurimum gratulor, ſtabilitatem, ac lucem accedere. Sed pluſquam ſatis de Conteſtatione Euſebii, dataque occaſione de Lupo, cujus ſapientiæ, & gloriæ detractum idcirco me nolle Romana rurſus fide profiteor.

(*a*) Plaut. Pœn. Act. 1. 1. 9.

(*b*) Ex Nat. Alex. in Syn. Hiſt. Eccleſ. 4. ſæc.

Galerius Maximianus, & Maximinus omni ſuppliciorum genere in noſtros ſævirent, pro Religione fortiter mortem oppetiit, vocem homouſion in Apologia, quam pro Origene adornavit, ſuis, Origeniſque verbis (nam & ſuo nomine loquitur, & quidquid Origenes præclare de Dei Filio dixerat, id colligendo, ejuſque obtrectatoribus objiciendo ſuum facit), Pamphilus, inquam, homouſion ſuis, Origeniſque verbis fidenter adhibuit; immo caput illud, ubi eandem, quam Patri, naturam Filio vindicat, & dignitatem, ex induſtria ſic inſcribit: *Quod* ὁμοούσιος *eſt cum Patre Filius, ideſt unius ſubſtantiæ* (Not. 3.). Fingi autem ad argumenti vim elevandam non poteſt, interdictum, etſi reapſe prodierit, Pamphilo tamen ignotum, vel inauditum fuiſſe. Nam &, nemine diffitente, magna ſapientiæ, doctrinæque gloria Pamphilus excellebat, egregie in primis in veterum ſcriptis, ſacraque antiquitate eruditus, & Antiocheni Pontifices epiſtolam ſuam ad omnes Eccleſias perferri curaverant, & perpauci denique anni a lata lege, vel interdicto effluxerant, cum Origenem Pamphilus in omnem partem ornandum, defendendumque ſuſceperat. Enimvero ab omni probabilitate longe abeſt, tantum Cæſarienſis Eccleſiæ Sacerdotem voluntati Antiochenorum Antiſtitum repugnaturum fuiſſe, ſi quam hi adverſus homouſion legem rogaſſent, nec idem Filii divinitatem demonſtraturus præcipuum optimæ cauſſæ præſidium ex ea voce repetendum duxiſſet, quæ paullo ante cunctis fuerat Patrum ſuffragiis condemnata. Reliquum ergo eſt, ut Antiochenum decretum, ne Pamphilo injurii ſimus, tanquam commentitium exiſtimemus. Notatione enim 3. paucis admonui, conjicere prudenter poſſe neminem, conſubſtantialis vocabulum Ruffini opera in Librum Pamphili irrepſiſſe. His autem & illud accedit, quod Ruffinum, ne in hoc opere latinis litteris illuſtrando a boni, candidique Interpretis fide audacter diſcederet, prohibere penitus debuit injectus ab adverſariis Origenis metus, quibus ille ſtomachum ſe facturum videbat, quamvis non ſuum, ſed Pamphili de Origene judicium in lucem proferret; atque id multo magis, ſi quid ipſe operi addidiſſet, quod neque Origenis eſſet, nec Pamphili. Sic enim initio Præfationis, quam operi a ſe latine verſo præpoſuit, Macarium Ruf-

finus

ſinus alloquitur. *Cognoſcendæ veritatis amore permotus, o vir deſideriorum Macari, injungis mihi rem, quæ tibi agnitæ veritatis gratiam conferat; mihi tamen non dubito, quin offenſam maximam comparet eorum, qui ſe læſos putant ab eo, qui de Origene non aliquid male ſenſerit. Et quamvis non meam de eo ſententiam, ſed ſancti Martyris Pamphili ſciſcitatus ſis...... tamen non dubito futuros, qui & in eo ſe læſos putent, ſi nos aliquid pro eo vel alieno ſermone dicamus* (*a*). Porro ſuſpicionem nimiæ in ſcribendo licentiæ a Lectorum animis amovet tanta cautio, nec debet Ruffini nomen, niſi ineptire velimus, de pondere teſtimoniorum detrahere.

XXXVII. Quod ergo felix, fortunatumque ſit, partim negantibus, partim ajentibus argumentis, quæ ex rebus inter duos Dionyſios geſtis (§. 6.), ex litteris ad Paulum Samoſatenum miſſis (§. 9.), ex diuturno noſtrorum (§. 11.), Arianorumque ſilentio (§. 12. &c.), ex ipſa Semiarianorum teſtificatione, & epiſtola (§. 18.), ex doctrinæ formula Pauli diſtincta nomine (§. 26. &c.), ex celeberrima Euſebii Conteſtatione, vel ſchedula (§. 35.), ex Pamphili denique opere (§. 36.), tanquam ex fontibus, magno numero petita ſunt, pulcherrime, niſi fallor, effecimus, convocatos adverſus Paulum Antiochiæ Pontifices ſacram conſubſtantialis vocem nulla lege interdixiſſe, vel condemnaſſe, ſed acceptam a Majoribus conſtanter, ut par erat, retinendam putaſſe, immo communibus ſuffragiis, atque ſententiis religioſiſſime conſecraſſe. Ex his autem tria ſua veluti ſponte conſectaria ſunt. I. Nos non rerum novarum, nec aucupandæ gloriolæ cauſſa, ſed ſtudio ductos veritatis, quæ incredibiles, ut rectiſſime Plato tradidit, ſui amores, ſi videretur, in omnium mentibus excitaret, a ſuperiorum ſententia receſſiſſe. Id, quod eo etiam dico, quia turpe ſemper, atque indecorum exiſtimavi a veterum opinionibus ſine cauſſa diffidere. II. Artem Criticam, ſi prudenter, moderateque uti illa noveris, nullum Religioni, ejuſque decretis creare poſſe periculum, immo interdum potius, quemadmodum tota hæc docet lucubratio, ſuffragari, ac prodeſſe. III. Noſtram de Antiocheno decreto ſententiam, ſepoſitis etiam rationum momen-

(*a*) Tom. 5. Oper. S. Hieron. Edition. Maurin.

Digitized by Google

mentis, contrariæ, quæ diu, multumque apud doctos invaluit, omnino anteponi oportere. Quod cum breviter, collatis inter ſe rebus, atque opinionibus demonſtravero, finem faciam aliquando. Longe enim, ut video, jam progreſſa oratio eſt.

XXXVIII. In ea ergo, quam hactenus tuiti ſumus, ſententia Patres ab omni invidia mirifice liberantur, Eccleſia in ſuis legibus, & ſanctionibus perpetuo ſibi conſtat, in tutoque, ut verbo dicam, ſunt omnia. Primum enim Antiocheni Antiſtites ſuum Majoribus honorem deferunt, Romanoque & Pontifici, & Concilio, a quibus de adhibendo, uſurpandoque homouſio lata lex eſt, eam, quam debent, adhibent reverentiam; Nicæni vero, qui id generis verbum diſciplinæ noſtræ formulæ adſcripſerunt, nihil porro faciunt, quod imprudentiæ ſuſpicionem vel minimam afferat. Deinde conſtat ſibi ſemper, & cohæret in inſtitutis ſuis Eccleſia. Veteres enim de divini Filii natura, ac numine explicantes homouſion paullatim in Eccleſiam introducunt, ſummus Pontifex ſuo firmat, ac tuetur præſidio, Antiocheni Patres non exagitant, Nicæni publica lege, qua omnes teneantur, honorificentiſſime tractandum decernunt, poſtremo illud pie ubique, maximiſque cum gratulationibus pedetentim excipitur. Quid vero in adverſariorum opinione, ac ſententia? Antiocheni Concilii Patres gravi nulla neceſſitate conſtricti (ex §. 7. 8.) a Majorum auctoritate deſciſcunt, relinquunt, & abjiciunt obedientiam Romano non parentes Pontifici, cui divina lege ſubjecti ſunt; Nicæni autem Antiſtites in varias tum aliorum, tum præſertim malevolorum reprehenſiones incurrunt. Actionum vero, decretorumque æquabilitas nulla eſt, maxima diſcrepantia. Nam vox homouſion a veteribus cum laude adhibetur, & ab utroque Dionyſio, Romanoque Concilio tanquam incorruptæ doctrinæ indicium, & quaſi nota ſtatuitur; ſed paullo poſt Antiocheni Epiſcopi eandem vocem lege publica interdicunt. Pamphilus tamen ei decreto reſiſtit obedienter imperata non faciens, decretique Auctores in ferenda ſententia parum honeſte inter ſe diſſident, atque diſcordant (ex §. 9.), cum ecce proſcriptum nomen rurſus Nicænorum Patrum ſententiis abſolvitur, & quaſi poſtliminio revocatur. Ex quo certe fit, ut Eccleſiæ leges,

leges, atque inſtituta ſatis belle inter ſe non conveniant. Cum igitur in noſtra ſententia nunquam Patres ab officio diſcedant, vacent ab omni temeritate, & imprudentia, veterum, Romanique Pontificis retineatur auctoritas, & quædam poſtremo in tota Eccleſia ſingularum actionum, & legum conſtantia continenter eluceat, facile perſpicis, dignam eſſe ſententiam, quæ ipſa per ſe, ſepoſitis etiam argumentorum ponderibus, contrariæ præferatur. Non negaverim, eos, quos a me diſſenſuros cogitatione provideo, navaturos fortiter operam, ut a Patribus omnem criminis, atque inconſtantiæ ſuſpicionem propulſent, quemadmodum ex parte ab Athanaſio factum accepimus, cum Semiarianorum argumentis occurreret (a); verum negare nec ipſi poterunt, ſi candide loqui voluerint, magna ad id eloquentia, exquiſitiſque opus eſſe argumentis. Ego os Nicænæ formulæ hoſtibus, cæteriſque malevolis hominibus ita obſtruo, ut ne muſſitare quidem poſſint; ipſi nitentur vim vi repellere, non ita tamen, ut inimicis communibus viam intercludant, ac nulla eiſdem redintegrandi belli opportunitas relinquatur. Sed nolo plura; vereor enim, ne longiori collatione ſententiarum perſpicuitas elevetur. Tibi integrum per me erit, ac liberum, quod mavis, ſtatuere. Nam niſi in noſtra, ac Marani ſententia conquieſces, ſaltem opellam hanc, ſi minus propter doctrinam, at certe propter egregiam, optimamque in me de aliis bene merendi voluntatem, te non improbaturum confido.

(a) Lib. de Syn. num. 45.

F I N I S.